



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ecclesia Cathedrali Cæsaravgvstæ. Ioannis Baptistæ Tvrricelli Responsum

Torricelli, Giovanni Battista

Romæ, 1656

urn:nbn:de:hbz:466:1-13380



6

M III

12

Th. 4776.

Handwritten text in a cursive script, likely a library stamp or inventory record, located in the center of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to contain several lines of information.

Ex Legato Almi Principis Ferdnandi, Episcopi  
Paderb. et Monaster. Anno 1683

DE ECCLESIA  
CATHEDRALI  
CÆSARAVGVSTÆ  
IOANNIS BAPTISTÆ TVRRICELLI

Responsum.  
*Collegij Socij Jesu Paderb.*



ROMAE, Ex Typographia Reu. Camerae Apostolicae, 1656.  
Superiorum permisso.

*Ferdinandi Fürstenbergii*

DEI ELECTISSIMA  
CATHEDRALI  
CATHEDRALI  
IOANNIS BAPTISTE TERRICENTII  
Repositum



ROMAE IN APOSTOLICA  
CATHEDRALI  
SACRATORUM

# I N D E X

- Num. 1. **P**rimum argumentum pro Cathedralitate Ecclesie del Pilar ex eius erectione deducitur, & sede in ea à Iacobo Apostolo posita.  
*Quod comprobatur exemplo Ecclesiarum quas Ioannes Apostolus fundauit in Asia.*
- Num. 2. *Secundum argumentum ex eo elicitur, quia Athanasius Iacobi discipulus Casaraugustæ Episcopus designatus fuerit.*
- Num. 3. *Predicta adminiculis corroborantur, & primo ex residentia Episcoporum in Ecclesia del Pilar: præcipue vero SS. Valerij, & Braulij.*
- Num. 4. *Secundo ex auctoritate Scriptorum qui expressè Cathedralem eandem Ecclesiam nuncupant.*
- Num. 5. *Probatur Cathedralitas Ecclesie S. Saluatoris ex ultimo statu, à quo præsumitur in præteritum.*  
*Maximè concurrentibus adminiculis.*
- Num. 6. *Desumitur primum adminiculum ex priuilegio Alphonsi Reges Castella anno 1134. Ecclesie S. Saluatoris concessio.*
- Num. 7. *Secundum ex auctoritate Zurita in indicibus, & annal. cui fauet consuetudo Maurorum conuertendi Cathedrales in Mezquitas, & Christianorum expiandi Mezquitas, & in ijs Cathedrales restituendi.*
- Num. 8. *Tertium ex verisimili.*
- Num. 9. *Resoluantur adducta per Rotam contra Ecclesiam S. Saluatoris: & primo ad id quod dicitur, præsumptionem resultantem ex præsentis status Cathedrali elidi ex probatione anterioris status contrarij, respondetur anteriorem statum Cathedralem Ecclesie del Pilar uequaguâ probari.*
- Num. 10. *Resoluantur adducta contra priuilegium Alphonsi.*
- Num. 11. *Explicatur Zurita locus in indicibus fol. 13. ostendendo eum non obesse Ecclesie S. Saluatoris, nec aduersari ijs qua de eiusdem Cathedralitate scripsit Zurita in indicib. fol. 12. & in annal. lib. 1. f. 43.*
- Num. 12. *Zurita auctoritati circa expiationem Mezquite maioris Casaraugustæ, & restitutionem sedis in eundem locum additur testimonium Carilli in hist. S. Valerij, & in annal. li. 4. Et præmissa de consuetudine Maurorum, & Christianorum profanandi, & restituendi Cathedrales confirmantur pluribus, præcipue vero exemplo Valentina Ecclesie quidquid in contrarium scripserit Aynsa.*
- Num. 13. *Ex structura Ecclesie S. Saluatoris ostenditur eam ab erectione Ecclesiam, & non Mezquitam fuisse prout Rota existimauit.*
- Num. 14. *Resoluitur primum argumentum pro Ecclesia del Pilar a*  
P. Le-



*P. Lezana excitatum, ostendendo non inferri ad Cathedralitatem eius Ecclesie, quia ab Apostolo fundata fuerit, vel in ea Apostolus aliquandiu sederit.*

- Num. 15. *Quomodo erigatur Cathedralis proponitur, & quando ex residentia Apostoli in aliqua Ecclesia eiusdem Cathedralitas argui possit.*
- Num. 16. *Ostenditur successiue, Iacobum Apostolum erigendo Ecclesiam del Pilar, eam Cathedralem nequaquam constituisse, neque in ea sedisse tamquam Episcopum, ut inde ad eius Cathedralitatem inferri possit.*
- Num. 17. *Ad ea quae de Ioanne adducuntur, respondetur Ecclesias ab eo fundatas eatenus fuisse Cathedralis, quatenus Cathedralis dignitate donatae fuerint. Ceterum non omnes Asia Ecclesias ab eo erectas, sed multas a Petro, Ephesinam vero a Paulo. Ioannem vero Ephesi Episcopum nequaquam fuisse, nam primus Ephesi Episcopus fuit Timotheus, secundus Orsimus, qui Ioanni superuixit: at Ioannem potius Asia Episcopum dicendum esse quia eam provinciam erudiendam suscepit, qua ratione, & B. Iacobus Hispania Episcopus potest nuncupari.*
- Num. 18. *Pluribus probatur, Athanasium non fuisse Episcopum Casaraugustanum; ex quibus secundum argumentum resolutur.*
- Num. 19. *Scriptorum auctoritas expenditur qui d. Athanasij Episcopatu mentionem faciunt*
- Num. 20. *Demum quatenus Athanasius fuisse Casaraugustae Episcopus quod negatur excitatur dubitatio An Ecclesia del Pilar Cathedralitatis prerogatiuas obtinuerit ad effectum, ut alijs urbis Ecclesijs superior euaserit.*
- Num. 21. *Responsio habetur ad primum adnuncium pro Ecclesia del Pilar adductum, ostendendo Episcopos omnes, (excepto Maurorum tempore quo Ecclesia status immutari non potuit) ipsosque Valerium, & Braulium in Ecclesia Saluatoris resedisse, & quatenus aliquandiu in Ecclesia del Pilar sedem habuerint, non inde cathedra dignitatem in eam Ecclesiam concessisse.*
- Num. 22. *Secundum adnuncium ex auctoribus deductum, qui Ecclesiam del Pilar Cathedralem asseruerunt, contraria scriptorum traditione refellitur, itemque ex text. in can. quis nesciat. 11. dist.*
- Num. 23. *Reijcitur gl. interpretatio ad d. textum.*
- Num. 24. *Postremo refelluntur, aut declarantur scriptores, qui Ecclesiam del Pilar Cathedralis nuncuparunt; ex quibus concluditur, aduersus praesentem statum Ecclesiae S. Saluatoris minus sufficienter probari anteriorem Cathedralitatem Ecclesiae del Pilar.*



E Ecclesia Cathedrali Cæsaraugustæ sermonem institui-  
mus hoc est de Ecclesia  
in qua sedes, seu Cathedra Episcopalis  
primis temporibus posita ad annum sal.  
nostræ 1118. permanserit. Nam ab anno  
1118. ad hanc diem sedisse Episcopos in  
Ecclesia Sancti Saluatoris eiusdem Urbis,  
eamque Ecclesiam vnicam Cathedralem

fuisse manifestū videtur. Et licet Ecclesia S. Mariæ del Pilar  
nūcupata Cathedralitatis dignitatem, quam sibi antiquitus  
contigisse asseruit, nunquam à se abdicatam hodie propo-  
nat: Hæc quam leui fundamento nitantur, pro Ecclesia  
S. Saluatoris scribentes sic palam faciunt, vt amplissimam  
huius disceptationis materiam hac inspectione protrahere  
superuacaneum existimem.

Tractatum tribus capitibus absoluaui, quam res patitur, bre-  
uitate. Primò argumenta proferam, quibus Ecclesiam  
S. Mariæ Cathedralem asstruunt. Secundò quæ causam fo-  
ueant Ecclesiæ S. Saluatoris adducam, & ab obiectis vin-  
dicabo: Tertiò eam refellam, quæ pro aduersa parte primo  
capite recensentur.

*Quo iure Ecclesia S. Mariæ del Pilar Cathe-  
dralitatis Dignitatem sibi vindicet.*

*Caput Primum.*

**I**taque de Ecclesia S. Mariæ del Pilar dicere aggrediar: Ve-  
rùm quæque pro ea vel Ecclesia S. Saluatoris scribentium

A labor

labor congefferit referre, nec tempus suppetit, nec operæ pretium duco. Quibus ergo potissimum fundamentis stet vtriusque causæ explicabo, ea præcipuè expendens quibus *Sac. Rot. in decis. 353. par. 5. recent. ad fauorem Ecclesiæ del Pilar Respondit*, nonnullaquè recenti opusculo à P. Ioanne Baptista Lezana erudito viro ingeniosè excitata.

N. 1. Ecclesiam B. M. V. del Pilar, quæ summa religione & Cæsaraugustæ, & in vniuersa Hispania olim colleur, primo sæculi nostræ sæculi Deiparæ Virginis iussu à Iacobo Apostolo erectam, eiusque curam Theodoro Presbytero demandatam, historia in fine prætensi Codicis moralium Sancti Gregorij descripta memorat; cuius traditionem, quæ antiqua veneratione populorum animis insedit, grauissimi inter Hispanos auctores prosequuti sunt, *qui in d. decis. 353. par. 5. recent. sub num. 20. & duobus seqq. referuntur.*

Ex auctoritate huius historiæ P. Lezana in libro, cui titulus est de Cathedralitate Ecclesiæ S. Mariæ del Pilar cap. 2. à numer. 20. primum desumit argumentum ad probandam Cathedralitatem eiusdem Ecclesiæ; cum enim B. Iacobus Episcopus esset, & quidem totius orbis Episcopus, quemadmodum omnes Apostolos fuisse consentiunt *Suarez. de fide disput. 10. sect. 1. num. 1. & seqq. & Card. Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 11.* eundem Apostolum, & Cæsaraugustanæ Ecclesiæ, & aliarum Hispaniæ Ecclesiarum, quas erexit, Episcopum fuisse: Et Ecclesias eius filias, & in quibus sedit, Episcopales, seu Cathedrales extitisse, inferri videtur: pro ut etiã Ioannes Apostolus Ephesinæ Ecclesiæ, in qua sedit, Episcopus dicitur: nec Ephesinam, aut alias Asiæ Ecclesias, quas omnes ab eo fundatas, & erectas testatur Diuus Hieronymus de Scriptor. Ecclesiasticis, Episcopales fuisse, quispiam inficias eat.

N. 2. Secundum & potissimum pro hac parte argumentum ex plurimum auctorum testimonio deducitur quos recenset *d. decisio 353. sub num. 22. vers. quò verò ad ordinationem par. 5. recent.* Ij siquidem produunt, non modo Theodorum ab Apostolo

3

stolo Presbyterum, sed alterum discipulum Athanasium, nomine Cæsaraugustæ Episcopum designatum, quibus auctoribus standum esse maximè in facto antiquo, admonet *textus in l. 1. ff. de offic. prefect. Prator. l. si testamenta. C. de testam. Bart. in l. 1. num. 22. ff. si cert. petat. & Felin. in cap. ex parte num. 49. de rescript. Ideo admitta Constitutione Ec-*

*construere*

*clesiæ del Pilar, & Constitutione Episcopi in Vrbe Cæsaraugustana eiusdem Ecclesiæ Cathedralitas probari videtur quia dato Episcopo, & Ecclesia ratione coniugij spiritualis oritur Cathedralitas ad text. in cap. inter corporalia, ubi Imola num. 10. de translat. Prælator. quæ quidem Cathedralitas in Ecclesia tantum B. M. videtur posse considerari cum ea tunc temporis vnica esset atque ita vnicum obiectum cui dicta qualitas adhereret prout arguit *Ror. d. decis. 353. num. 29. & 30. & P. Lezana d. cap. 2. à num. 31.**

Corroboratur argumentum pluribus adminiculis, quorum duo tantum veluti præcipua subnectam.

Primum suggerit adminiculum asserta Episcoporum commo- N. 3.  
ratio in Ecclesia del Pilar ab Athanasio vsque ad Petrum Libranam siuè ad annum 1118. quorum seriem refert *Murill. in tract. foundationis eiusdem Ecclesiæ à cap. 2 l. ad cap. 3 l. & P. Lezana d. cap. 2 l. à num. 34. per tot.*

Præcipuè verò de Valerio, & Vincentio, quorum primus Episcopus, secundus Archidiaconus eidem Ecclesiæ præfuisse fertur, testantur *Aymon. lib. 1. cap. 6. de translat. corporis S. Vincentij, & Neoterici nonnulli. relati in decis. sub num. 50. quibus Prudentij. hymnus ad 18. Martyres conuenire videtur.*

De S. Braulione meminit historia à partibus recepta ex breuiario S. Hieronymi quæ his verbis quo die eiusdem Sancti memoriam celebrant, recitatur. *Disputatione autem longa consumata, & Synodo celebrata unusquisque ad propriam sedem reuersus est. B. verò Braulius dum in Ciuitate Cæsaraugustana in S. Maria maiori suam sedem diuinitus situasset. &c.*

Secundum præbet adminiculum scriptorū auctoritas, qui Ec- N. 4.  
clesiam Beatissimæ Virginis Cathedralē expresse nuncu-

A 2 pant.

cupant quos quidem auctores refert *decisio sub num. 86.*  
Nunc aduersæ partis argumenta referamus.

*De Cathedralitate Ecclesiæ S. Saluatoris.*

*Cap. Secundum.*

**P**ostquam bellica virtute inter Aragonum Reges clarus Alphonfus Hispaniarum cognomento Imperator, Cæsaraugustam à Mauris vindicauit, Petro Libranæ Cæsaraugustanæ Ecclesiæ cura commissa, Episcopalem sedem in æde Saluatoris semper fuisse non controuertitur.

N. 5. Ex hoc ultimo statu quingentis ab hinc annis, & ultra deducto validè inferri ad originariam, & primordiam eiusdem Ecclesiæ Cathedralitatem, donec plenè, & concludenter probetur contrarium; Supponit ipsa decisio sub num. 1. Maximè concurrentibus adminiculis ex quibus dicta præsumptio coadiuuetur *iuxta decis. 233. num. 2. par. 1. rec.*

N. 6. Primum autem adminiculum ex priuilegio Alphonsi Regis Castellæ, Alphonsi Maurorum debellatoris priuigni, elicitur, qui salutis anno 1134. nempe ab recepta Cæsaraugusta decimo sexto, concessionem ab Alphonso, & Ranimiro superioribus Regibus S. Saluatoris Ecclesiæ factas confirmas, eandem Ecclesiam inter ceteras antiqui nominis gloria celebres præclaram nuncupat, & ad eius leuandam paupertatem Ecclesias omnes intra Episcopatum Cæsaraugustanum positas, & S. Mariæ templum expressè donat.

De hac Alphonsi concessione nequit dubitari, cum in eiusdem Ecclesiæ Archiuio priuilegium inspici possit, & de eo mentionem faciant non modo auctores in decis. relati num. 5. sed etiam Bullæ Pontificum Eugenij III. Adriani IV. Alexandri III. & Alex. IV. in quibus donationes Alphonsi, & Ranimiri, & hæc ipsa posterioris Alphonsi cōcessio cōfirmantur.

Ex hac autem concessione plura deducuntur, quæ S. Saluatoris Ecclesiæ fauent; ad rem præsentem ea tantum ponderabimus,

59

bimus, quæ de eius antiquitate Princeps asseruit; Cum enim priuilegiū Sexto decimo post Mauros expulsos anno emanauerit, vtique Princeps antiquitatis nomine non cōmendasset, quæ ex Mezquita in Ecclesiam nuper fuisset conuerſa, sed eius famam longè ante Maurorum tempora viguisse colligitur, quæ non temporis, non Barbarorum iniurijs deleta ad Alphonsi Imperium euaserit, & pijsſimi Principis ad eius leuandam paupertatem animum excitarit. Ad hoc conferunt diuertæ enunciatiuæ Casaraugustanorum Præsulum, Arnaldi scilicet in donatione anno 1255. & Garzix in vnione duarum Ecclesiarum eidem Ecclesiæ facta, anno 1398. Item Martini Aragonum Regis in priuilegio huic Ecclesiæ anno 1400. concesso, qui ijsdem ferè verbis, quibus Alphonsus, Ecclesiæ huius antiquitatem, & nobilitatem declarant.

Iuris consulti in probationibus appellatione antiqui, annorum centum tempus intelligunt, *Ita Verall. decis. 28. nu. 4 par. 1. Crauet. & alij relati per Menoch. de arbitrar. lib. 2. cas. 3. n. 6.* Et licet verbum antiquum iuxta subiectam materiam accipiatur, attamen attento vsu loquendi, seù secundum ius comune, seù secundum consuetudinem vulgi, antiquum non dicitur quod quadraginta annorum metam non excedat, *Bald. cons. 370. num. 4. lib. 3.* In feudis verò, & concessionibus Principum antiquum dicitur quod tale à Principe fuit nuncupatum iuxta *Bald. cons. 310. num. 4. & d. cons. 370. eod. num. vol. 3.*

Quod igitur non sexdecim annis, sed pluribus ætatibus Ecclesiæ origo priuilegium præcesserit, assertionem Principis fit manifestum, qui & vetustatem, & dignitatem Ecclesiæ antiquitatis nomine simul expressit; Siquidem ex antiquitate nobilitatis argumentum desumitur; Vndè celebris illa contentio inter Aegyptios, & Scythas orta de gentis vetustate apud Iustinum *lib. 2.* atque inter eosdem Aegyptios & Phrigas legitur apud Herodotum in Euterpe: & vetustum pro nobili auctores non semel vsurpatum constat; antiquam enim

1 apud

enim Hesperiam dixit Virgil. Aeneid. lib. 1.

*Terra antiqua potens armis atque ubere glebae.*

Quem immitatus Silius initio sui Poematis,

*Da musa decus memorare laborum*

*Antiqua Hesperia.*

Idem Virgilius Aeneid. 4.

*Et Troia antiqua maneret.*

Et rursus eod. lib.

*Carthago aut antiqua Tyrus.*

Quibus in locis antiquam idest nobilem Seruius interpre-  
tatur.

Accedit non incongrua observatio circa causam concessio-  
nis, quam scilicet ex ipsis Principis verbis (unde conclu-  
dens probatio deducitur ad Theor. Bald. in l. 1. C. de falsi-  
caus. adiect. leg.) non nisi templi antiquitatem fuisse constat,  
quæ cæteris Hispaniæ Ecclesijs præcellens Regiam liberali-  
tatem in se convertit; Ideo cum narrata vetustas habeat se  
per modum causæ ad id, quod in privilegio continetur, cõ-  
cludenter probat Ecclesiæ existentiam ante Maurorum  
tempora, quorum sub iugo longis calamitatibus eadem  
afflicta asseritur ad tradit, per Bald. cons. 263. num. 3. vol. 1. &  
Mascard. de probat. concl. 1234. num. 90. & seqq. præsertim  
cum in re antiqua versemur, quo casu Principis verba, in  
quibus eius intentio fundatur, plenè probant etiam in præ-  
iudicium tertij, Craucet. de antiquit. temp. cap. 2. nu. 25. Ma-  
scard. d. concl. 1234. num. 118.

Secundum Adminiculum clarissimi Historici, atque inter Ara-  
gonensium rerum Scriptores facile Principis, Hieronymi  
Zúritæ præbet auctoritas, qui in indicibus lib. 1. fol. 43.  
Ecclesia, inquit, Casar-Augustana primis propagata Christiani-  
tatis Religionis seculis sacra, & S. S. Valerij ac Braulij infulis, ac  
ac Vincenij Martyris illustrata doctrinis, Sacrorumque Con-  
ciliorum Sanctionibus orbis Christiani celebratione commemo-  
rata, à nefarijs impij cultus vestigijs solemnibus ceremoniarum  
Religione expiata, & Deo Opt. Max. Servatori ex voto quod  
Impe-

7

Imperator pulcherrima, florētissima, Potētissimaque Urbis esse potius, festis laudibus instauratur, & consecratur. Et in Analibus lib. I. fol. 43.

Consecrata fuit Mezquita maior, & dedicata Ecclesia nostro Redemptori sub titulo S. Saluatoris eodem anno &c. Itaque in suo primo loco restaurata Sedes Cathedralis, que fuit valde nominata in primitiua Ecclesia &c.

Quibus ex locis, (quæ Beatissimæ Virginis Templo adaptari nequeunt: quippe expiatione non eguit Ecclesia, in qua vera Religio à Maiorum institutis nunquam deflexit, sed Christiana Sacra vel Maurorum tempore per Muzerabes seruata, testatur Hieronymus Blancas in Commentar. rerum Aragonensium fol. 11. & idem Zurita in indicibus anno 889. fol. 13) satis euidenter depræhenditur, Ecclesiam S. Saluatoris in Mezquitæ usum à Mauris conuersam & à Christianis iterum expiatam, & consecratam, ante Maurorum tempora, & in ipsa primitiua Ecclesia Cathedralem fuisse, siue eius denominationem ab Vrbe Cæsaraugusta absque expressione alicuius Sancti animaduertamus qua Cathedræ dignitatem indicari tradit, glos. communiter recepta in cap. quamuis verbo non extendit de præben. in 6. seu verba expressa attendamus quibus Historicus Cathedralem Sedem in suo primo loco restauratam memoriæ prodidit, nec enim præcedentis Cathedralitatis huius Ecclesiæ certius testimonium habere queat, verborum proprietati qui inheret; Cum aliud non sit, sedem in primo loco instaurare seu restituere, quam in eum locum vnde fuit sublata, eandem reponere ad tex. in l. 2. S. restituas, ff. ne quid in loco publ. & restituere (ait I. C.) videtur is, qui in pristinum statum reducit: quod sit siue quis tollat quod factum est, siue reponat id quod sublatum est.

Comprobatur adminiculum ex Maurorum, & Christianorum consuetudine: eos siquidem post Hispaniæ excidium præcipuas Ciuitatum Ecclesias in Mezquitas conuertere consueuisse, & generalia Hispaniarum Cronica memorant, & de



de proprijs Regnis testatur Petrus Aragonum Rex Primus in priuilegio concesso anno Domini 1096. incipien. Neminem latere &c. de quo *Franciscus de Aynsa rerum memorab. Ose. lib. 4. cap. 5. pag. 525. & Martin. Carill. in histor. S. Valer. fol. 240.* Hos verò Maurorum Mezquitas Christiano cultui è contra restituisse admonuit Blancas in *dd. Commentarijs fol. 130.* his verbis.

*At verò ipse Alphonfus Rex cum primum Casaraugustiam introiuit Mezquitam maiorem, qui priscus semper mos fuit, à nefarijs cultibus purgari fecit, ac in eam Cathedralem Sedem consecrari.*

Nec pijssimi huius Christianorum Regum instituti exempla deficiunt. Nam in Hispania, Sarracenis Cattalunia pulsis Carolus Magnus Vrgellensem Ecclesiam Gothorum, tempore conditam, & ab Infidelibus dirutam eodem loco instaurauit, & Sede ei restituta, Ludouico Caroli Magni filio Imperatore, Sisebutus Episcopus consecravit, vt habet Zurita Annalium lib. 1. fol. 6. & 8. sic Valentinam Ecclesiam à Mauris profanatam Catholicorum Regum iussu expiatam & consecratam meminit, *Bernard. Gomez in historia Iacobi Regis lib. 12. idemque de Ecclesia Hispalen. prodidit Alphonfus Morgad. historia Hispalen. lib. 4. fol. 114. & eodem lib. 4. in princ. & Carill. in aduertentijs ad histor. S. Valer. ult. aduertentia fol. 13. et de Ecclesia Toletana Mariana de rebus Hispanie lib. 9. cap. 16.*

Et extra Hispaniam capta Panhormo à Guiscardis, primum reintegratam in pristinum statum Archiepiscopalem Ecclesiam, quam Mauri in Mezquitæ vsum verterant, refert *Gaufrid. Menacus de Ruberti Guiscardi, & Rugerii rebus gestis, lib. 2. cap. penult.* his verbis. *Ecclesiam Sanctissima Dei Genitricis Mariae, quæ antiquitus Archiepiscopatus fuerat, sed tunc ab impijs Saracenis violata templam superstitionis eorum facta erat, cum magna deuotione Catholicè reconciliatam, dote, & ornamentis Ecclesiasticis auget.*

His ergo non dissonat Zuritæ traditio de Ecclesia Casaraugustana

stana

9  
stana, cum enim dignitate ea cæteras antecelleret, & à Sa-  
racenis Mezquitam factam, & à Christianis in Cathedra-  
lem eandem restitutam facile suadet, seu relatam tempo-  
rum consuetudinem, seu iuris communis, à quo Princeps  
non recessisse præsumitur, dispositionem attendamus, qua  
cauetur, vt quæ Ecclesiæ olim Cathedrales aut bello, aut  
infidelium iniquitate suam dignitatem amiserint, dum cõ-  
modè fieri possit, in pristinum statum reintegrentur *ad Can.*  
*felix 16. quest. 1. et tradita per Moson. de Maiest. militan.*  
*Eccles lib. 1. par. 1. cap. 15. in princ.*

Alia plura nec leuis ponderis adminicula adducunt in hac cau. N. 8.

sa Scribentes, quæ in re tanta graui iudicio sapientia Patrũ  
expendet. Vnum non omitam videlicet, si Cathedralis  
B.M. Virginis Ecclesia extitisset, omnino inuerisimile esse,  
vt Rex Alphonus in B. Virginem aprimè pius ( cui statim  
capta Cæsaraugusta in eodem Templo summa populi læti-  
tia publicas de Mauris debellatis ab eo gratias actas testa-  
tur *Carill. annal. lib. 4. anno 1118. fol. 268.*) quam Ecclesiã,  
& Barbari veneratione habuere, ipse antiquis honoribus,  
& prærogatiuis, translata in Mezquitam Sede priuasset, è  
contra nihil veritati adeo congruum quam Cathedræ Di-  
gnitatem Ecclesiæ, in qua antea vigit, restitutam fuisse: id  
enim sanxit ius commune *d. Can. felix 16. quest. 1.* & verifi-  
milis dicitur, quod iuris communis dispositioni propius  
accedit *Aymon. cons. 35. nu. 24. Mantie. de coniect. lib. 6. tit. 6.*  
*num. 4.* Quamobrem si in omni materia, quod verisimile  
est amplecti dehemus, verisimilitudo enim probationem  
alias minus concludentem sustinet *Tiraquell. in præfat. ad l.*  
*si unquam num. 51. Surd. cons. 489. num. 9. Gregor. decis. 245.*  
*à num. 7.* quod autem inuerisimile est præfert imaginem fal-  
situdinis *Abb. Falin. et communiter DD. in d. cap. quia verisimile*  
*de præsumpt. Surd. cons. 61. num. 37. et 38. et cons. 132. nu. 21.*  
contra Ecclesiam S. Saluatoris respondere profecto nequeat,  
qui à verisimili non deflectat contra *reg. tex. in cap. quia ue-*  
*risimile de præsumpt. l. in obscuris de reg. iuris, et l. cum in te-*

B

stamen-

*stamento ff. de reb. dub.* Quare ex his fundamentis huius partis causam potioem omnino existimo.

Nec obstant quæ aduersus ea respōdit *Rota d. decis. 353. par. 5. recent.*

N. 9. Et in primis præsumptionem resultantem ex posteriori atque diuturno statu Cathedralitatis elidi ex probatione anterioris status contrarij *ad l. final. in princ. ff. quod metus caus.* Quia respondetur, hanc anteriorem Ecclesiæ S. Mariæ Cathedralitatē ex adductis in primo capite nequaquam probari vt infra constiterit.

N. 10. Similiter non obstat quod contra primum adminiculum adducitur à num. 89. vbi transumptum priuilegij ab Alphōso concessi Ecclesiæ S. Saluatoris non esse in forma probāti, & quatenus iuris solemnitatibus non deficeret, non esse extractum ab Archiuio publico: Demum enunciata in dicto priuilegio antiquitatem Ecclesiæ S. Saluatoris referendam esse ad Ecclesiam Cathedralem Cælaraugustanam in abstracto, quæ antiquissima conceditur non autem ad hanc, vel illam materialem Ecclesiam. Nam quo ad legalitatem priuilegij sanè eius auctoritas ex allegatis auctoritatibus, & Bullis Apostolicis satis confirmatur, & notissima est regula, informitatem scripturæ in antiquissimis suppleri adminiculis. *Caputaquen. decis. 234. numer. 2. par. 1. Merlin. decis. 572. num. 3. & par. 4. diuers. decis. 717. num. 5. vers. non obstat, & recent. par. 2. decis. 418. nu. 5.*

Quò verò ad auctoritatem Archiuij Ioannes Arruegò in libro nuperrimè ædito de Cathedra Episcopali Cæsaraugustæ *cap. 20. per tot.* luculenter probat in pluribus iudicijs, & causis cū ipsa Ecclesia del Pilar agitatis Aragonensia Tribunalia dictum Archiuium publicum agnouisse; Vndè infertur scripturas, & libros Ecclesiæ etiam informes ex eo extractas fidem facere *cap. ad audiētiam, & ibi glos. in verb. censualem de prescript. Authentic. Ad hac, & ibi glos. in verbo publico C. de fide Instrumentorum Alexander cons. 92. num. 6.*

vol. 2,

vol. 2. Mascard. de probat. conclus. 111. numer. 9. & 10. & conclus. 975. num. 50.

Nec verba privilegij relationem patiuntur ad antiquitatem Ecclesie Cæsaraugustanæ in abstracto, cum de Ecclesia Sãti Saluatoris expressè enunciatur, vt infra latius deducã: Quarè cum in verbis nulla sit ambiguitas significationis quæstio non est admittenda *l. ille aut ille 25. & l. non aliter 67. de legat. 3.* nimia enim subtilitas subuertit veritatem ad *l. si quis heredem in fin. C. de instit. & substit. & l. penult. C. ad Trebell.*

Quod autem privilegium à nouo Principe de rebus Aragonensibus minus instructo, & ad partis instantiam emanauerit, vt obijcit eadem decisio *sub num 95.* nec verisimile videtur, nec enunciatiuæ vim adimit; Principis enim ignorantia in rebus proprijs facilius, quam proximi, & æmuli Regni præsumenda est si in memoriam reuocemus *Æxiphil.* admonitum in vita Augusti videlicet, eos qui Principatum tenent, omnia potius quam ea, quæ ad se spectant, intelligere. At verò accedit insignis templi huius dignitas, quæ etiam in primitiua Ecclesia latè claruisse testatur *Zurita dicto anal. lib. 1. fol. 43.* Item locus, in quo emanauit concessio non enim in Regno Castellæ aut remota Prouincia, sed in ipsa Vrbe Cæsaraugusta Ecclesie privilegia Alphonsus confirmauit ex quibus valida coniectura resultat, eiusdem antiquitatem, & conditiones Principem non latuisse, vt arguit *Rota decis. 222. numer. 1. par. 3. recent.* Addatur ex ipsis verbis Privilegij: *Ego Idelphonsus mecum considerans &c.* apertè colligi non suggestionem partis sed propria pietate excitatum Principis animū ad Ecclesie huius aliarumque sui Regni leuandam paupertatem, ex quo sequitur optimam notitiã de eiusdem statu Principem habuisse *iuxta Rotam decis. 405. num. 2. par. 1. rec.*

Postremò ponderetur narratiuam Alphonsi de antiquitate, & excellentia huius Ecclesie in donatione Arnaldi Cæsaraugustani Episcopi, & in Vnione per Garz. Episcopum fa-

ta, & in priuilegio Martini Regis, & ab alijs in alijs actibus tanquam eorum causam finalem iisdem verbis repeti; nec dubitatio supererit, quia in enunciatiua adeo antiqua, tot adminiculis adiuuata, & publicis monumentis reperita, etiã ad instantiam partis emanasset, plenissimam probationem faciat ex his quæ congerit *Tiraquell. in l. si vnquam, verbo donatione largitus num. 100. & seqq. C. de reuocan. donat. Verall. decis. 337. num. 6. par. 3. Buratt. decis. 323 num. 9. & 10. & ibi adden. lit. C.* Item addentes ad eundem Burattum *decis. 172. littera D. Gregor. decis. 407. num. 5. & ibi Beltram. num. 6. in fin. Merlin. decis. 148. num. 3. Rota rec. par. 1. d. decis. 405. num. 3 & decis. 223. num. 3. par. 2.*

**N. II.** Contra secūdam adminiculum ex Zuritæ auctoritate desumptum eiusdem Zuritæ testimonium prætenditur, qui in indicibus anno 889. fol. 13. hæc habet. *Casar auguste satis constat, reliquis sacris adibus sine tectis depopulatis, sanctum, & religiosissimum templum D. Mariæ Virgini dicatum, quod valgo de Pelari nuncupatur miseris illis temporibus sanctitatis religionis, & consilij publici tanquam sacram aram, & perfugij portum nostris fuisse: unde & Eleca, & Seniori, ac superioribus posterioribusque Episcopis, & ecclesiastico catui sacrosancta ea edes sedem ac domicilium præbuit, & maximos honores eius Fani antiscitis semper habitos, & vetustis tabulis, & memoria superiorum temporū pro certo affirmare possumus &c.*

Ex his enim verbis argumentum haurit Rota in *decis. sub numer. 109.* pro Cathedralitate Ecclesiæ del Pilar etiam ante Maurorum inundationem, cum enim Eleca, & Senior primi fuerint Episcopi sub Maurorum tyrannide, ijs verò, & superioribus Episcopis Ecclesiam B. Mariæ sedem præbuisse historicus asserat: verbum illud *superioribus* ad Episcopos Elecæ, & Senioris antecessores qui sub Gothorum gentiliumque Imperio in Ecclesia B. Mariæ resederunt, referri & ex perpetua Episcoporum Sede in eadem Ecclesia eius Cathedralitatem luculenter probari videtur; ideo ad conciliandam historiæ contrarietatem ex hoc loco interpretata-

pretationem recipere alia duo loca Rota existimauit quasi hic principaliter, alibi verò incidenter, & perfunctoriè Zurita loquitur: vt scilicet ijs duobus locis tradere intelligat Regem Alphonsum ex voto expiari, & consecrari fecisse Mezquitam Maurorum, & in ea Deo Opt. Max. instaurasse Ecclesiam Cæsaraugustanam Sedemque Cathedralem ad primum dignitatis locum restituisse, & sic non agat de Ecclesia materiali aut Cathedrali Sede in quantum pendet ab aliquo loco, sed de Sede Cathedrali in abstracto, & independenter, & de Ecclesia spiritualiter sumpta quatenus est fidelium collectio *ad rex. in cap. dudum 3. quest. 6. & Can. Ecclesia de consecrat. distinct. 1.*

Verum allegatus Zuritæ locus Ecclesiæ S. Saluatoris fauet magis quam aduersatur: nec repugnat ijs, quæ infra in indicibus *fol. 52. et annal. lib. 1. fol. 43.* apud eundem auctorem leguntur, si rectè percipiatur verborum sensus, nec aliena interpretatione corrumpatur.

Animaduertendum igitur Zuritam eo loco conditionem describere, in qua Respublica Christiana, occupata à Mauris Hispania, constituta esset, ideo postquam narrauit historicus antiquam religionem à populis oppressis licet, & longa seruitute afflictis incorruptè seruata: adiecta verba sanctitatem, et venerationem testantia qua vel illis temporibus Beatiss. Virginis templum habitum est, non nisi ad Maurorum tempora referri possunt, seu præcedentia inspiciamus, à quibus oratio subsequens declaratur *l. quoties ubi Bartol. C. familie ercisc. l. si seruus plurium S. fin. de legat. 1. Parisius conf. 111. num. 40. lib. 1. & conf. 79. num. 17. lib. 3.* seu pronomen tempori adiectū, miseris illis temporibus, quod demonstratiuum est, et relatiuum ad superius *d. l. generali. ter ff. de off. Presid. l. nemo 58 ubi Bartol. et Bald. ff. de hered. insituen. Nat. conf. 678. num. 23. Surd. conf. 308. numer. 16. Honded. conf. 4. num. 37. et seq. lib. 1. Buratt. decis. 715. num. 4.* Seu denique verba illa tanquam sacram aram, et per fugij Portum attendamus, quibus manifestè exprimitur Cæsaraugu-

augustanos Præsules propria Sede Mauris imperantibus pullos ad Ecclesiam del Pilar B.V. præsidio tutam confugisse, hoc enim sensu perfugij verbum vsurparunt auctores, *Cicero ad Brut. fuga Porcus erat in tuis Castris, & perfugium salutis in tuo exercitu*, & *Liu. lib. 2. nullum propius perfugium erat.*

Hoc posito quæ adiecit historicus de Elecæ Senioris, et superiorum posteriorumque Episcoporum Sede in Ecclesia B.M. Virginis, de iisdem temporibus sunt accipienda: Continuat enim oratio, et quia tunc temporis vna religionis tutela Beatiss. Virginis templum extitit, in eo Episcopos, donec Maurorum iugum Vrbs tulit, sedem legisse indicatur; dictio enim *unde* quo sensu ibi ponitur, vel illatiua est *ad text. in S. Apium quoque instituit. de rerum diuis. et l. malum 242. ff. de verb. signif.* vel causam reddit, non aliter ac si dictum fuisset ob eam causam, & Elecæ & Seniori &c. *ad text. in l. mulieris 13. et l. censere 111. vbi in iisdem terminis vsurpatur ff. de verb. signif. et decis. 323. num. 59. par. 6. recent.* vel orationem concludit, & ideo tanquam accessoria non ampliat neque immutat superius dicta prout de dictione *Itaque tradit Rota ead. par. 6. recent. decis. 129. num. 17.*

Quod si alius sensus admittatur, videlicet Episcopos Cæsaraugustanos non modo Maurorum tempore, sed perpetuò in Ecclesia B.M. consedisse: quatenus in Episcopis, qui Seniore, & Elecam antecesserunt id possit verificari: in ijs qui subsequuti sunt profecto nequit habere locum, cum à Maurorum excidio in Ecclesia S. Saluatoris Episcopos Sedem habuisse constet. Cum autem ea verba, & posterioribus Episcopis accipienda sint de ijs, qui Maurorum tempore Elecam sunt subsequuti *ad text. in l. 1. §. lex falcidia ff. ad l. falcid. & tradita per Ruin. conf. 165. num. 10. vol. 2. Gabriel. conf. 178. nu. 42. vol. 2. Onded. conf. 97. n. 16. vol. 1.* utiq; verbum superioribus ad Episcopos, qui Elecam & Seniore per eadem tempora præcesserunt referendū, nam idem thema debet retineri iuxta *Rot. in decis. 601. nu. 4. par. 3. rec. per*

et

per tex. in l. non ad ea ff. de condit. & demonstrat. & quæ vnica  
 structura verborum continentur, diuerso iure censi non  
 debent iuxta eandem Rot. decis. 11. nu. 1. par. 4. tom. 2. recent.  
 consonant. tex. in l. quamuis C. de impuber. & tradita per Dec.  
 conf. 92. num. 2. Caesar. de Grassis decis. 4. num. 9 de testam. Gre-  
 gor. decis. 191. num. 2. & par. 2. diuers. decis. 237. num. 1. & de-  
 cis. 1. numer. 6. par. 2. rec. & decis. 473. numer. 13. par. 4. tom. 2.  
 & verba secundum subiectam materiam accipi debent Pa-  
 ris. conf. 26. num. 119. vol. 2. Gabr. conf. 61. num. 2. vol. 2. Surd.  
 decis. 2. num. 13. & decis. 11. numer. 16. & decis. 272. numer. 1.  
 & rec. par. 6. decis. 4. num. 7. & decis. 252. num. 5. & decis. 599.  
 num. 10. & seq.

Nec refragatur quod supponit Rota primos Cæsaraugustæ  
 Episcopos post Maurorum inuasionem Elecam, & Senio-  
 rem fuisse ex quo traditio Zuritæ de Senioris, & Superio-  
 rum Episcoporum Sede in Ecclesiæ B. Mariæ non nisi ad Epi-  
 scopos, qui sub Gothorum, & Gentilium imperio Senio-  
 rem præcesserunt, videtur referri posse.

Quia suppositum non alio nititur fundamento quam quod de  
 alijs Episcopis qui inter Bentium, & Seniore intercesse-  
 rint, monumenta deficiant. Quid autem mirum si æqua-  
 lis scriptor illis temporibus nullus extat? & occupato à  
 Mauris Aragoniæ Regno tum singulorum gesta, tum publi-  
 ca monumenta rerum si quæ extiterant profus interiere?  
 vt in Indicibus ad annum 758. idem Zurita testatus est;  
 profecto huius argumenti leuitatem agnouit Rot. in dec. sub  
 n. 107. at nullius omnino pöderis in re præfenti id fateri ne-  
 cesse est, si Cæsaraugustam anno 716. à Mauris captam, &  
 à Bentio postremo regnantibus Gothis Cæsaraugustæ Epi-  
 scopo desertam fuisse Seniore verò testimonio Murilli, Ec-  
 clesiæ del Pilar acerrimi defensoris, anno vigesimo octin-  
 gesimo ordinatum animaduertatur: quod temporis spa-  
 tio Bentij Episcopatum, & Senioris intercedente Ecclesiam  
 Cæsaraugustanam vacasse, à veritate alienum apparet si le-  
 gatur idem Zurita in Indicibus ad annum 889. vbi Reli-  
 gionis



gionis Christianæ ex quo fidei hostes Hispaniarum potiebantur, eum fuisse statum memoriæ prodidit, vt, & si oppressos seruitute atque afflictos piorum cætus tenerent, in his tamen Ciuitatibus quibus Episcoporum sedes stabilitæ fuerant, & Archiepiscopi, & Episcopi p̄sident, & terminatas Diœceses ab Vuamba Gothorum Rege definitas obseruarent.

Postremò quæ in confirmationem secundi adminiculi de Maurorum, & Christianorum consuetudine in primoribus Ecclesijs profanandis, & restituendis adduximus, ex obiectis in *decisione sub num. 101. & seqq. & num. 113.* nequaquam destruuntur.

Quod enim dicitur non constare hanc consuetudinem in Ecclesia S. Saluatoris fuisse seruata, tollitur allegato testimonio, Zuritæ de Mezquitæ maioris expiatione, & restitutione sedis in eundem locum in quo antea fuerat; Restitutio enim supponit priuationem, & rursus priuatio habitum *Buratt. decis. 160. num. 5. cum alleg. per Rot. in Meliten. Parochialis 21. Iunij 1650. S. 1. coram Illustriss. Bichio, & in Cracouien dismembrationis Decimarum 3. Iunij eiusdem anni, coram Illustriss. Verospio.*

N. 12.

Accedit testis Martin. Carillus in histor. S. Valer. fol. 140. expressè asserens, S. Valerij tempore Cæsaraugustam plures Ecclesias habuisse; Cathedralẽ verò fuisse vbi hodie conspicitur, deinde Maurorũ tempore profanatam, & in Mezquitæ vsum conuersam, tandem Vrbe à Barbaris vindicata, pristinam sedis dignitatem recepisse. Quod idem annal. lib. 4. anno 1118. fol. 268. post narratam Cæsaraugustæ deditionem confirmat his verbis. *Nominauerat Rex Alphonsus Episcopus Petrum Libranam, qui maiorem Maurorum Mezquitam consecrauit titulo S. Saluatoris, quo ante nuncupabatur, Ex quibus constat d. Ecclesiam, & Cathedralẽ ante Maurorum Imperium fuisse, & hoc ipso titulo S. Saluatoris denominatam.*

Neque Carillus in secunda impressione histor. S. Valerij in  
3. ad-

3. aduertentia suam sententiam retractauit, vt habet *decis. sub num. 112. & seqq.* Namque iterum scribere iussus, licet rem aliquo temperamento, ac moderatione repetat, veritatem tamen ratione qualibet antiquiorem habuit, quam obiectioni quartæ respondens his verbis nobis proposuit: *Quod dixi SS. Vincentij, & Valerij tempore Ecclesiam Cathedralē, vbi nunc est extitisse: id fusius probare possem, & obiectionibus respondere, quibus Cathedralis Ecclesie ius impugnetur. In presentia ommitto, vt disputationibus abstineam quamuis contentiones huiusmodi sanctæ sint, & ad fidelium pietatem excitandam &c.*

Mox de Hispalensi Ecclesia subiungit *Vidimus eã primam Ferdinandi Serenissimi Regis curam post Mauros Hispali exactos circa res Ecclesie fuisse, & Mezquitam maiorem Mahometica superstitione expiatam Deo consecrassē antiquo Ecclesie Cathedralis titulo &c. Quod idem nos Casar Augusta, vt nostri historici prodiderunt, contigisse contendimus.*

Quæ verba manifestum faciunt, auctor ne post Superiorum præceptum quæ in historia S. Valerij scripserat, reuocauerit, an confirmauerit, & de Ecclesia S. Saluatoris, quæ sentiret, apertè protulerit.

Quod autem asseruit Aynsa Episcopales sedes nunquam antiquis Ecclesijs restitutas, sed potius in Mezquitis Maurorum collocatas fuisse, Cordubensis Ecclesie exemplo id confirmans, vt notat *decisio sub num. 113.* neutiquam officit veritati, tum grauissimi auctoris Hieronymi Blancae testimonio subnixæ, qui in comment. rerum Arag. d. fol. 130. priscum hunc morem semper fuisse tradidit: tum adductis Ecclesie Vrgellensis, Hispalensis, Toletanæ, & Panhormitanæ exemplis, quibus Ecclesie Osetanæ historia non disfidet, quam antiquitus Cathedralē, Maurorum tempore in Mezquitam conuersam, demum à Petro Rege in Cathedralē, ac pristinum statum restitutam fatetur idem Aynsa *rerum memorab. Oset. lib. 4. cap. 1. fol. 505.* vbi vel se corrigat, vel ipse sibi contradicit: Et conueniunt quæ de Ecclesia

C

Valen-

Valentina scripsit *Bernard. Gomez. in histor. Jacobi Regis lib. 12 in princ.* ubi hanc Maurorum, & Christianorum consuetudinem euentendi, & restituendi Cathedrales in Ecclesia Valentina ad oculum expressit his verbis, *Iamque Rege, & aliis maximas Christo gratias ob expiatam in ea Vrbe impietatem Mahumetanam, & veram Christi Religionem inductam reddentibus, ipsamet ades in honorem, & nomen Beatissima Virginis, & Matris consecrata fuit post tot illius mutatas olim appellationes, quarum prima Romanorū tempore vt ex lapidibus incisis, aliisque vestigiis, & monumentis litterarū Colligere est Diane fuit. Deinde occupantibus Hispaniam Gothis, & Religionem Christi suscipientibus, Seruatoris vt creditur: Post Saracenis Regnum cū reliqua Hispania inuadentibus Mahumeti: Rursus Ruizio Diazio cognomento Cidi, strenuo Castelle Regulo, qui eandem Urbē ex Saracenorū manibus eripuit, ac Christianis restituit, Diui Petri: sed breui recuperantibus postea Urbem Saracenis iterum contaminata Mahumetto cessit, quo ad Iacobus denuo expiatam illam Sac. Virgini in perpetuum dicauit.*

Hinc quatenus in Ecclesia Corduben. contrarium contigerit, vnicum exemplum neque dictæ consuetudinis veritatem destruit, neque eiusdem in Ecclesia Cæsaraugustana obseruantiam excludit; prout vnus Aynsæ auctoritas in re, quæ communi scriptorum traditioni aduersatur, non meretur attendi; Maximè cum de Ecclesia Cæsaraugustana idem, quod Carillus, & Zurita vel ipse senserit quorum sententiã non retulit simpliciter sed manifestè approbavit; dum enarrato Cæsaraugustanæ Ecclesiæ statu, quem, & Maurorum, & posterioribus, ac superioribus temporibus eam sortitam Carill. & Zurita Scripsere, idem Ecclesiæ Ossetanæ euenisse subiungit, quæ verba eandem omnino in diuerso casu censuram indicant ad *text in l. cum hi S. sed, & si pluribus ff. de transact. Bald. cons. 94. num. 2. vol. 3. & Rota rec. par. 4. tom. 3. decis. 572. num. 3.*

N. 13. Postremò quæ circa Ecclesiæ structuram Mezquitæ potius, quam

quam antiquo templo accedentem, habentur in *decis. sub num. 102.* ipsa facti veritas tollit: cum Ecclesiæ moles ardua, conspicua, & Crucis similitudinem præferens, vt ex testiū depositionibus cōstat, & *Murilli descriptione in tract. de excell. Casar augustæ cap. 27.* Mezquitarum structuræ conuenire non possit, quas obscuras atque humiles neque instar Crucis edificatas agnouit ipsa *decisio sub nu. 12.*

Nec refragatur Ecclesiæ huius caput septentrionem respicere contra antiquum Ecclesiarum morem, quas ad Orientem sitas communis SS. Patrum probat auctoritas.

Nam quidquid sit de huiusmodi consuetudine, eam demum tunc obseruatam accipere debemus quando situs id patiebatur, & commodè fieri poterat, quemadmodum admonet *S. Paulinus Epist. 12. ad Seuerum, Azor. instit. moral. par. 2. lib. 9. cap. 3.* & multas ex antiquissimis Urbis Ecclesijs ad Orientem minime versas videmus: ipsumque Sacellum del Pilar Sanctissimæ Virginis Imaginem ad occidentem vt audio positam exhibens; Altare verò ad septentrionem conuersum: Quod tamen Sacelli antiquitatem dubiam non reddit, prout non dubitatur de Ecclesiæ Taraconen. Oscan. & Valentinæ antiquitate etiam si in ijs Altare maius ad septentrionem sit collocatum.

*Confutatio eorum quæ pro Cathedralitate  
Ecclesiæ del Pilar adducuntur,  
Caput Tertium.*

**F**irmata ex præsentī statu, cui ponderata adminicula suffragantur, etiam anteriori, & primæua Cathedralitate Ecclesiæ S. Saluatoris, superest refellere quæ pro Ecclesiâ B. Mariæ del Pilar primo capite proposuimus.

Itaque ad primum argumentum quod P. Lezana ingeniosè N. 14. excitat facilis mea sententia est responsio, non enim quia Ecclesiâ à B. Iacobo fundata fuerit, vel quia Apostolus in

ea federit, concludenter infertur ad eiusdem Ecclesiæ Cathedralitatem.

Non ex fundatione, quia licet Apostoli Cathedrales Ecclesias erigendi facultatem haberent, non tamen sequitur, quas-  
cunque Ecclesias ab eis fundatas Cathedrales fuisse, nisi  
easdem huiusmodi dignitate insignire voluerint. Ratio est  
euidens, quia alias sequeretur Apostolos nequijisse vel no-  
luisse nisi Episcopales Ecclesias erigere: vtrumvis autem  
asserat, absurdum est, primum quia nullibi legitur limitata  
auctoritas Apostolorum, vt Ecclesiam non Cathedralē  
erigere non potuerint, quod ideo nec nos affirmare debe-  
mus argumento *tex. in Can. quis nesciat vbi Geminian. di-  
stinct. 11. Secundum quia prorsus inuerisimile est Apосто-  
los voluisse quibuscunque Ecclesijs ab eis fundatis parem  
dignitatem impertiri: imo ex *distinct. 80. per tot.* contrarium  
manifestè deducitur vbi ex Apostolorum institutione Pri-  
matialium Archiepiscopalium Episcopialium atque inferiorum  
Ecclesiarum distinctionem emanasse admonemur; *Et  
Volateranus Geographiæ lib. 11. apud Antaradum Ciuitatem  
hodie Tortosam dictam Sacellum Diuæ genitrici Mariæ  
primum omnium ex ære Christianorum Collato ab Apo-  
stolorum Principe excitatum prodidit in quo is primum  
sacrificasse dicitur, nec tamen dictum sacellum Cathedræ  
dignitatem obtinuisse memoratur.**

Similiter ex residentia Apostoli in aliqua Ecclesia non bene  
infertur ad eius Cathedralitatem, quia licet Apostoli om-  
nes essent Episcopi à Christo Domino ordinati vt pluribus  
ostendit *Suarez de fide disput. 10. sect. 1. num. 1. & seqq.* & vbi  
Episcopus residet ibi Cathedralis esse dicatur, diuerso ta-  
men iure Apostolorum, aliorumque Episcopatum censere  
debemus: quippe Episcopi singuli singulis Ciuitatibus fue-  
runt præfecti *d. distinct. 80. Can. in illis:* at Apostolorum  
nemini certæ Ecclesiæ regimen, sed simul omnibus vniuersi  
Orbis cura mandata est *Matth. cap. ult. docete omnes gentes,  
& Marc. cap. 16. Euntes in Mundum vniuersam prædicare*

Euan-

*Euangelium omni creaturae.* Hinc vnus fuit Apostolorum  
 Episcopatus vniuersaliter, & coniunctim in eis constitutus,  
 nec alios limites, quam terrarum Orbis agnoscens, in Petro  
 tamen tanquam in capite, in reliquis Apostolis tanquam in  
 membris collocatus ad *Can. ita Dominus distinct. 19 & trad.*  
*per Abb. quest. 1. num. 10. versic. tertio premitto & numeris se-*  
*quentibus, & Lotter. de re benef. lib. 1. quest. 10. à num. 4. ex*  
 quo sequitur dici non posse, hic fuit Episcopatus Ioannis,  
 ille Iacobi, nec ex Apostolorum assistentia, vlli Ecclesiæ  
 Cathedralitatem obuénisse, cum enim Apostoli Euangelij  
 lucem populis adducentes vniuersum Orbem peragrarent  
*ut in Act. Apost. præcipue Act. 14. in fin. & apud Baron. annal.*  
*tomo 1. ann. Christi 58. nouasq. Ecclesias pari pietate, & cura*  
*instruerent, & visitarent; Vnde habetur de Paulo Act. 15.*  
*in fin. Reuertentes visitemus fratres per vniuersas Ciuitates*  
*in quibus predicauimus verbum Domini &c. & mox. Per-*  
*ambulabat autem Syriam, & Ciliciam cõfirmans Ecclesias &c.*  
 vtique ex hoc Apostolorum officio in omnes Ecclesias æ-  
 que collato dici non potest Apostolos in omnibus, vel in  
 vna potius, quam alia Ecclesia sedem suam collocasse, vt  
 inde Cathedralitatem illarum quæpiam adeptæ fuerit.

Nec ab re alienum est, quod de Ecclesia Antiochena admo-  
 nuit Card. Baron. in suis Annalibus ann. Christi 39. vide-  
 licet non ex præsentia Petri dignitatem Patriarchalem eam  
 Ecclesiam consequutam fuisse, sed quod illi à Petro præci-  
 pua dignitas sit collata, vt Orientalium Sedium maxima  
 diceretur, & esset. *Nam si præsentia Petri (ait Baron.) quam-*  
*libet Ecclesiam primariam effecisset, tot essent numerandæ Sedes*  
*Patriarchales, quot à Petro fuerint Ecclesiæ institutæ, fuisse*  
*namque earum immensum planè numerum nemo, puto, inficias*  
*ierit.*

Quæ quidem præsentī quæstioni optimè congruunt, etenim  
 de Ecclesia Patriarchali ad Episcopalem arguere licet, *arg.*  
*text. in Can. Cleros distinct. 21.* Nec aliud de Petro, aliud de  
 ceteris Apostolis dicendum est, cum facilius Cathe-  
 dralita-  
 tis

tis dignitas ex Petri præsentia tanquam Apostolorum Principis induci debuisset *ad Can. in nouo eadem distinct. 21.*

N. 15. Vt igitur Ecclesia ab Apostolo erecta esset Cathedralis, Episcopalis Cathedra in ea collocanda erat, cuius dignitas Cathedralis constituit, ad tradit. *per Archidiacon. in cap. statutum num. 1. de rescript. in 6. Flaminium Paris. de confidentijs q. 15. num. 3. & 4. Rebuff. de concord. tit. de collect. S. 1. verb. Cathedralis. Barbof. iuris Eccles. vniuers. lib. 1. cap. 8. numer. 48. & lib. 2. cap. 5. num. 4. Cochier. in Scol. ad preces primar. verb. singularis Cathedralibus.* Cathedræ autem dignitas non tam ipsa Sedis situatione, quam Episcopi constitutione conferri videtur; siquidem Episcopo in aliqua Ciuitate constituto Cathedralis Ecclesia constituitur, ea scilicet in qua Episcopus Cathedram collocabit, ita ut ante Sedis collocacionem in aliqua Ecclesia Episcopatus, & Cathedralitas in abstracto, postquam verò in certa Ecclesia posita est, in concreto considerari possit; quod forsitan, sensit Rota vbi affirmat, dato Episcopo, & Ecclesia ratione coniugij spiritualis oriri Cathedralitatem; nam dato Episcopo, & Ecclesia spirituali cum qua scilicet spirituale coniugium intercedit *ad textum inter corporalia de translatione Prelat. nullius Ecclesiæ Cathedralitas actualis resultat, in abstracto tamen considerari potest, quatenus Episcopus in aliqua Ecclesia Cathedram ponere, ibique fideles docere, & instruere tenetur, & quoniam Cæsaraugustæ vnica tantum Ecclesia, S. Athanasij tempore fuisse supponitur, ideo eam Cathedralis fuisse, Rota deduxit, tanquam vnicum subiectum, cui posset Cathedralitas adherere.*

Vt ex residentia Apostoli Cathedralitas argui posset, probanda esset eiusdem ordinatio ad titulum Ciuitatis, in qua resedit, vt scilicet tanquam eius Episcopus permanentem Sedem in ea posuerit, non autem tanquam Apostolus, qui nullius particularis Ecclesiæ Episcopus dici poterat, nisi eius regimini specialiter præfectus esset *ad notab. glos. in Can. porro. verb. ordinatus distinct. 66. vbi excitata quaestione cur*

Iacobus

Iacobus frater Domini Hierosolymorum Episcopus à Petro, Ioanne, & altero Iacobo ordinatus fuerit, cum Episcopalem ordinem cum alijs Apostolis ab ipso Domino suscepisset: respondet *glos.* id factum esse quia Apostoli erant Episcopi sine titulo: Vnde infertur neminem Apostolorum certi loci Episcopum dici potuisse, nisi eiusdem Præsul, prout Iacobus Hierosolymorum, creatus fuerit.

Cum autem Beatus Iacobus, Ioannis scilicet frater, neque N. 16.

Cæsaraugustæ Episcopus ab alijs Apostolis ordinatus fuerit (nam solus Iacobus frater Domini, idemque iustus dictus, Hierosolymorum creatus Episcopus loco constitit, nec sicut cæteri ad gentes in diuersas Orbis partes abire permisus est *iuxta Baron. ann. Christi 44. num. 35.*) Neque ipse eiusdem Ciuitatis Episcopum alium quempiam ordinauerit; etenim quæ de Athanasio produntur, nullum habere fundamentum infra patebit, utique Cæsaraugustæ Cathedralis Ecclesia ab eo erecta dici nequit, cum neque formaliter, neque materialiter Cathedram in ea constituerit, prout nullum argumentum ex eius residentia deduci potest, cum neque perpetuo Cæsaraugustæ moratus fuerit, nec villo tempore tanquam eius Ecclesiæ Episcopus, sed vt Euangelium clarissimæ Hispaniæ Vrbi annuntiaret, Sedem in ea collocauerit. Quod enim ponderat *Pater Lexana sub n. 29* Apostolum in ea Presbyteros ordinasse, & Episcopalia muneris exercuisse, arguit quidem potestatem Episcopalem in ordinante, quæ non negatur, at non probat Beatum Iacobum in Ecclesia Cæsaraugustana tanquam propria Sede sacros ordines contulisse, cum iurisdictionem sibi à Domino demandatam vbique terrarum velut in propria Diœcesi exercere posset.

Nec refragantur, quæ de Asiæ Ecclesijs à Ioanne erectis adducuntur, siquidem ætenuis fuere Cathedrales quatenus <sup>aa</sup> Apostolus nõ erexit solū, sed constitutis Episcopis etiam Cathedralis dignitate donauit; Cæterum Baronius *anno Christi 97. num. 3.* non assentitur Sancto Hieronymo dicenti, omnes



nes Asiæ Ecclesias à Ioanne fundatas, nam præter plures  
 quas B. Petrus in Asia minori instituit, Ephesinam Eccle-  
 siam à Paulo erectam, non solum Irenæi testimonio, quem  
 refert *Euseb. hist. Eccles. lib. 3. cap. 17. sed ex Act. Apost. ple-*  
*nè colligitur præcipuè verò Act. 19. & 20. vbi ipsemet Pau-*  
*lus sic Ephesios alloquitur. Propter quod vigilare memoria*  
*retinente quoniam per triennium nocte, & die non cessavi cum*  
*lachrymis monens unumquemque vestrum &c.* Perspectum  
 autem habemus nequaquam Paulum prædicasse vbi Euā-  
 gelium fuerit ab alijs annunciatum, quod Paulus ipse *epist.*  
*ad Roman. cap. 15. his verbis expressit. Hierusalem per cir-*  
*cuitum usq. ad Illyricum replevi Euangelium Christi. sic autem*  
*hoc prædicavi Euangelium non vbi nominatus est Christus, ne*  
*super alienum fundamentum adificarem, sed sicut scriptum est,*  
*quoniam quibus non est annunciatum, de eo videbunt, & qui*  
*non audierunt de eo intelligent.* Ex quibus deducitur nemi-  
 nem Ephesi ante Paulum prædicasse, aut Ecclesiam eam  
 erexisse; quinimo Cathedralem ab eodem Apostolo ere-  
 ctam constat, qui Timothæum, antequam Ioannes Asiam  
 obiret, primū Episcopū in ea constituit, vt Episcopi omnes  
 Asiæ testatur in Cōcilio Calced. *act. 11. & refert Euseb. d. hist.*  
*Eccles. lib. 3. cap. 4. quæ sequitur Baron. ann. Christi 57. n. 186.*  
 Quod igitur scripsit S. Hieronymus, omnes Asiæ Ecclesias à  
 Ioanne fundatas fuisse, ita forsan accipi posset, vt eas, con-  
 culcata hæresi, euangelicis scriptis, & prædicatione omnino  
 firmauerit, & stabilierit, quod & *Baron. ann. Christi 97. sen-*  
*fisse videtur; quippe post Apostolorum Petri, & Pauli ne-*  
*cem, à quibus Asiæ Ecclesiæ fundatæ, & ad pietatem opti-*  
*mè institutæ fuerant; cum Cherinti potissimum, & Ebionis*  
*hæresis per Orientem inualuerit, de quibus Euseb. d. hist.*  
*lib. 3. cap. 21. num. 22. Asiæ Ecclesiæ curam Ioannes, ne à*  
*sincera fide, quam semel acceperat, ea Regio excideret,*  
 quamuis senio confectus suscepit, rogatusque ab Asiæ Epi-  
 scopis aduersus hæreticos Euangelium scripsit, vt Irenæus,  
 atque Epiphanius testantur, ipseque Hieronymus de *Script.*  
*Eccles. in Ioann. cap. 9.* Quod

Quod autem dicitur Ioannem Apostolum Sedem Ephesi posuisse, id ita accipere debemus, ut in Asiam profectus domicilium in ea Ciuitate sibi elegerit, prout declarat *Euseb. hist. Eccles. d. lib. 3. cap. 15. in fin.* Tradunt etiam veteres nostri Scriptores, Ioannem eo tempore ab exilio, quod in Insula fuerat perpeffus, rediisse, & Ephesi denuò Sedem, ac domicilium rerum suarum collocasse &c. quæ verba de Episcopali Sede intelligi nequeunt, ut potè quæ semel Ephesi posita, neque alio translata fuerat, neque erat denuò in eadem Ecclesia collocanda. Sic *Virgil. 1. Aeneid.* Sedem pro domicilio usurpauit.

*Hic tamen ille urbem Parani sedesque locauit*

*Tencrorum*

Et eodem lib. 1.

*Tendimus in Latium sedes ubi fata quietas*

*Ostendunt*

Et Ouid. *Metamor. lib. 1.*

*Arcados hinc sedes, & inhospita tecta Tyranni*

*Ingedior*

Et *Sext. Aurel. Victor. de orig. gētis Rom.* Quidam autem tradunt, terris diluuiò cooperitis, passim multos diuersarum regionum in Montibus ad quos confugerant constituisse: ex quibus quosdam Sedem querentes, peruectos ad Italiam Aborigines appellatos. Itaque ex sede Ioannis Ephesi posita, neque eius Ecclesiæ Cathedralitas aptè deducitur, cum Apostoli domicilium ibi positum fuerit, non autem Episcopalis sedes longe antea in ea Ecclesia à Paulo Apostolo constituta; neque Ephesi Episcopum Ioannem fuisse probatur, quippe in ea Ciuitate, cuius Episcopus ordinatus non fuerat, tanquam Episcopus nunquam sedit; sed ei primum Timotheus præfectus deinde Onesimus, qui ad Traiani vsque tempora Ephesinam Ecclesiam rexit, teste *Ignatio in epist. ad Ephes. de qua Euseb. hist. Eccles. lib. 3. cap. 30. & Baron. ann. Christi 60. num. 41. & Ioanni superuixit, ut colligitur ex eodem Baronio annal. tom. 2. ann. Christi 101. & 110.*

D

Accedit

Accedit Ioannem non semper Ephesi conſediſſe, vt ex Metaphraſte deducitur, qui res ab eo geſtas in Phuigia, ac præfertim Hierapoli, vbi permanſit vſque ad Philippi aduentum, recenſet: *Et ex Clemente Alexandrino apud Euseb. diſt. hiſt. lib. 3. cap. 17. Qui Ioannem ex Insula Patmo Ephesum reuerſum quorundam rogatu ad Finitimas gentes profectum ſcripſit, hic Episcopos conſtituturum illic integras Eccleſias ritè diſpenſaturum &c. & denique ex Baron. ann. Chriſti 44. numer. 30. vbi vniuerſum Orientem eum peragraſſe, præcipuè verò Parthos, & Baſſoras Chriſtiana fide imbuiſſe non vno argumento comprobat.*

Quod verò Ephesi potiffimum Ioannes ſit commoratus, id eo conſilio factum credibile eſt quo & Apoſtolus Paulus diutius ibi permanſit: videlicet quia peropportunos ei viſus ſit locus, vbi Euāgelij prædicatione Chriſtiana Religio propagaretur Ephesus enim totius Aſiæ minoris Metropolis Ciuitas, & Proconſulis ſedes tū populi frequētia, tū Phyloſophiæ ſtudijs apprimè claruit; quamobrè ad Corinthios ſcribens cur tandiu Ephesi detineretur, *hoſtium mihi* (inquit Paulus) *aperitum eſt magnum, & Aduerſarij multi.*

Qua ratione vel Beatum Iacobum Cæſaraugustæ moram duxiſſe, par eſt credere: quippe ea Ciuitas ab Augusto Cæſare amplificata, Colonia Romanæ titulum, atque immunitatem adeptæ, conuentuque Iudicum, vnde Finitimi populi iura peterent, in ea conſtituto, quemadmodum Principem locum inter cæteras Hispaniæ Vrbes facilè obtinuit, ita digna videri potuit, in quam Apoſtolus prædicationem, operamque ſuam diutius impenderet: non tamen eum Cæſaraugustæ Episcopum, ſicuti nec Ioannem Ephesi, fuiſſe ſequitur: ſed aptius hic Aſiæ, ille Hispaniæ Episcopus dici poſſet, ſi (quod Auguſtinus de Bellis prodidit) Apoſtoli Pro-uinciarum, quas in fide erudiendas ſuſcepiffent, Episcopi appellari conſuerint.

§. I.

**A**D secundum Argumentum, quod ex Episcopatu Athanasij deducitur, responderetur, absolutè negando Cæsaraugustanum Prælulem eum fuisse, quod euidenter probatur, &

N. 18.

Primo ex historia foundationis eiusdem Ecclesiæ, quæ ab Autoribus in decisione relatis, & ab ipsa parte eam producente approbatur. Cum enim in dicta historia post Sacelli mirabilem constructionem vnus ex discipulis Theodorus nomine ab Apostolo Presbyter ordinatus, & eiusdem Sacelli curæ, nulla de Athanasio mentione facta, additus legatur: vtique à d. traditione recedimus, quotiescumque Athanasio Ecclesiæ curam demandatam dicamus.

Nec adaptatur responsio decisionis, videlicet dictam historiam id expressisse, quod in specie ad ipsam B. Mariæ Ecclesiam pertinebat, mentionem tantum de Presbytero faciendo, qui particulari Ecclesiæ seruitio destinabatur: ex eo autem non excludi ordinationem alterius, nempè Athanasij in Episcopum, qui vniuersæ Diœcesi, non autem soli Ecclesiæ fuerat præfectus.

Tollitur enim dicta responsio ex ipsa decisione, quæ *sub n. 30.* supponit vnã tunc temporis Ecclesiam del Pilar Cæsaraugustæ existisse; nam licet Episcopo totius Diœcesis cura commissa esset, principaliter tamen dictæ Ecclesiæ tanquam Cathedrali idem fuisset præfectus in qua scilicet, & consecrari, & ad Altare intitulari, & Sedem ponere, & diuinis Officijs interesse debebat *ad Can. statutum 18. qu. 1. & Can. Episcopus vitem. dist. 41. & Can. Episcopus vbi glos. de consecr. dist. 3. & pulcrum text. in cap. fin. de offic. Archipresb. ibi, & sicut ipse Matrîci Ecclesiæ præest &c.* Vnde Episcopum Cathedralis Ecclesiæ verum Rectorem esse deducitur. Quamobrem Athanasius Cæsaraugustanus Episcopus ab Apostolo ordinatus verus Rector fuisset Ecclesiæ del Pilar:

Theodorus vero eius coadiutor. Hoc autem posito negari non potest, quin ad particularem historiam Ecclesie del Pilar expressa mentio Episcopatus Athanasij tanquam veri, & præcipui eius Rectoris pertineret; imò inuerisimile omnino videtur, si Athanasius Episcopus in ea fuisset constitutus, ut omisso Episcopo, ac vero Rectore de Coadiutore historia meminisset.

Nec obstat, quod dici posset, infirmum esse argumentum ex hac coniectura deductum: nam licet rem aliquam, & quidem præcipuam historicus præterierit: non tamen res illa, aut factum negandum est, quod enim alter libertate historica ommisit, alter studio magis accurato describere potuit ita ut non repugnet veritati Athanasium fuisse in Ecclesia del Pilar Episcopum constitutum, etiamsi eiusdem Ecclesie historia de eius Episcopatu mentionem non fecerit.

Nam respondetur: præcipua facta nec sine vitio ab Historico ommitti posse, nec omissa esse præsumendum; Hinc Plutarcus Alexandri Regis, & Cælaris vitas scripturus, quoniam rerum magnitudo neque omnia sermonibus hominum celebrata facta, neque singula accuratè describi poterat eam excusationem præterdit, videlicet non historias, sed vitas se scribere.

Accedit aliud esse factum aliquod in historia ommitti: aliud de eo mentionem fieri omissa aliqua circumstantia, quæ narrata rem aliter constitueret, nam quatenus primo casu argumentum procederet, (quod in historia saltem particulari negatur) neuiquam secundo casu concludit, quo nos versamur: siquidem historicus cum posset Ecclesie constructionem dumtaxat describere, statum etiam in quo ab Apostolo fuit constituta exprimere voluit, Theodorum, Præbyterum ordinatum, & eius curæ præfectum memorans; Quis autem dubitet, quin de Athanasio mentionem fecisset, si eiusdem Ecclesie cura principaliter ei fuisset commissa, Theodoro in partem oneris, & sollicitudinis addito? cum id ommittere non posse, quin diuersum Ecclesie statum

statum nobis proponeret, & eiusdem dignitati derogaret, quippe qui ex designatione Episcopi Cathedralis Ecclesiam, ex ordinatione Presbyteri, qui eam regeret, non Cathedralis ab Apostolo constitutam declarabat *arg. tex. in d. cap. fin. de offic. Archipresb. & Can. Episcopi in fin. distinct. 80.*

Secundo Athanasium non fuisse Cæsaraugustanum Episcopum probari posset, quia cum pauci discipuli B. Iacobo in Hispania sese adiunxerint, ut qui plurimos, nouem numerent, teste *Ioan. Marian. hist. Hispan. lib. 4. cap. 2. in fin. Vaseo in chron. Hispan. ann. Christi 37. Ribadeneira Flos Sanctorum in vita S. Iacobi*. eos Apostolus secum ducens, cum videret euangelicam doctrinam in ijs Prouincijs parum receptam, Hierosolymam reuersus est, ut habet *S. Antonin. histor. par. 1. tit. 6. cap. 7. Thom. Caccin. hist. eccles. vol. 1. lib. 4. cap. 9. & Alphonsus Villiegas in vita S. Iacobi*, ubi expressam mentionem facit de Athanasio, Apostolum ex Hispania recessisse affirmans cum discipulis quos secum duxerat, alijsq. septem quos de nouo in Hispania habuerat, Theodoro Athanasio &c.

Tertio quatenus aliquos ex discipulis ab Apostolo in Hispania relictos admittatur, prout admittimus: duos tantum prædicationis causa in ijs Regnis constituisse ex litteris Leonis Tertij, & Calixti Secundi Pontificum de quibus *Vaseus d. chron. an. 37. & 44.* satis colligitur, quorum testimonio præcipue verò B. Calixti utpotè in Hispania nati, & qui de S. Iacobo accuratissime scripsit. recentioribus auctoribus est præferendū, si illorū tñ auctoritatē Apostolicis litteris conferre decet. Ex his autem discipulis, cū alter Theodorus fuerit, qui presbyter ordinatus Ecclesiam B. Mariæ curandam suscepit, ut habet hist. eiusdem foundationis. alter B. Petrus Martyr Braccarensis Episcopus. quem Hispani omnes Scriptores Braccaræ relictum conueniunt, etiam si non paruum difficultatem subeat, an à Iacobo Episcopus ordinatus, ut recitat Breviarium Braccarense, an verò à B. Petro post Iacobi mortē Episcopalis Infulis ornatus fuerit, quod & Vaseus sensisse, & verius videtur, ponderando *text. in cap. quis nesciat dist. 11.*

de

de quo plura inferius : necessariò deducitur , vel Athanasium nequaquam Cæsaraugustæ Episcopum à B. Iacobo relictum fuisse : vel plures duobus discipulis in Hispania permansisse , quod repugnat dictæ Leonis , & Calixti traditioni , cui ad stipulatur *Garibai in compendio hist. Hispan. lib. 7. cap. 4. & Hieronymus Romanus lib. 1. Reipub. Christ. cap. 4. fol. 86.*

Quartò idem probatur ex Breuiario Romano in festo S. Iacobi die 25. Iulij in quo primos Hispaniæ Episcopos à Petro ordinatos expressè asseritur , Torquatium scilicet Tesiphonem , Secundum , Indaletium , Cecilium , Hysichium , & Euphrasium , de quibus Martyrologium Romanum die 15. Maij , quamobrem cum dicti Episcopi post B. Iacobi interitum ordinati fuerint , & tamen primi Hispaniæ Episcopi nuncupentur , neque Athanasium , neque alios à B. Iacobo Episcopos in Hispania ordinatos , consequens est.

Quintò denique concludentissimè id deducitur ex dicta Leonis Tertij epistola , ubi habetur occiso à Iudæis B. Iacobo discipulos magistri corpus Vrbe eiectum nocturno tempore arripuisse , & in Hispaniam ita ab eo viuente præmonitos transfuisse : ex his vero septem Romam profectos ab Apostolis Petro , & Paulo Episcopali dignitate accepta in Hispaniam remissos fuisse , ibique martyrio affectos : alios duos Athanasium scilicet , & Theodorum in Hispania ad magistri tumulum confedisse , & iuxta S. Corpus quod iugiter vigilantes seruauerant , alterum ad dexteram , alterum ad sinistram sepultos esse.

Epistolæ huius testimonium in historia Compostellana referri scribit *Vaseus loco alleg. & sequitur Garibai d. lib. 7. cap. 4.* quo admissio euidencia constat , Athanasium Cæsaraugustæ Episcopum esse non potuisse , quippe Cæsaraugustæ præesse non poterat , qui apud Iriam Flauiam , quo loco Apostoli sepulchrum fuit , domicilium sibi elegit , ubi S. Corporis custodiæ assistens vitam traduxit.

Occurrit difficultati *Murill. in tract. de mirab. fund. Cappel. Ang. cap. 17. fol. 146. & cap. 10. fol. 84.* & ait , S. Corporis custodiã

ab

ab Athanasio, & Theodoro ita susceptam, vt præcipuum eorum munus non deseruerint, sed alternis vicibus alter ad magistri tumulum vigilaret alter ad prædicandum progredere. Verum, cum de hac re neque vllius Scriptoris testimonium proferat, neque vlllo vtatur fundamento, cui fides sit tribuenda, huiusmodi resolutio tanquam diuiniua prorsus reiicienda est; Maximè quia licet præcipuum Episcoporum munus in primitiua Ecclesia esset prædicatio, ij tamen & diuinis officijs interesse, & alia gerere debebant quæ procul à propria Ecclesia Athanasius explere nequijt, nec ab eo contempta præsumendum est.

Ex his ergo apparet, erroneam aut comentitiam esse quamlibet de Athanasij Episcopatu traditionem; Verum quia Sac. Rota Scriptorum id afferentium auctoritati adeo derulit, singulorum testimonium ad trutinam reuocabimus quò euidentius constet, an fidem in re præsentis scripta huiusmodi mereantur.

Septemdecim Scriptores *in decis. recensentur sub num. 22. vers. N. 19.*

*quo vero ad ordinationem: quorū omnium opera post litem motam, vel condita, vel in lucem edita, nec ab omnibus approbata fuisse constat; propterea nullam prorsus probationem facere possunt; historiae siquidem eatenus probant, quatenus longissimo tempore receptæ fuerint, fidemq. obtinuerint apud maiores, vel sub publica custodia remanserint ad tradita per Abb. in cap. cum causam sub num. 1. vers. ex his infero de probat. Falin. in cap. inter dilectos num. 12. de fid. instr. Paris. cons. 23. num. 235. lib. 1. Mascard. de probat. conclus. 105. num. 11. & conclus. 398. num. 5. & 6. Barbos. in cap. cum causam 13. num. 5. vbi rationem reddit quia historiae sunt scripturæ priuatæ, quæ ex antiquitate, & fama robur accipiunt Rota coram Aegid. decis. 70. & coram Coccin. decis. 132. sub num. 4. vers. quod dicebatur, & in Balneoregien. iuris patronatus 9. Decembris 1650. S. neque iustificatur coram Eminentiss. Orthobono.*

Vt igitur de singulis inspiciamus antiqui Scriptores tres allegantur:



gantur: quorum opera per plura sæcula cum latuerint, amissaque communiter haberentur, post motam litem in lucem prodierunt Flau. Lucij Dextri Chronicum, epigramma M. Maximi atque epistola Vgonis Portugalensis Episcopi, in quibus Athanasius Cæsaraugustanus Episcopus enunciatur.

Vixit Dexter redemptionis nostræ sæculo quinto, vir summi nominis, Sancti Paciani filius, cui S. Hieronymus librum suum de Scriptoribus Ecclesiasticis dicauit: Chronicum ab eo conscriptum fertur, quod ab initio Mundi ad ann. Chr. 440. protenderetur: sed an in lucem prodierit, dubitatione non caret; nã S. Hieronymus dubitans loquitur, *fertur texuisse historiam quam nondum legi*: quamobrem constat, historiam illam Dextri, viuente Hieronymo, editam non fuisse: cui enim potius exemplar mitti debebat, quam ei ad quem scriberetur? Sed neque postea publicatum fuisse inde elicitur, quod nullus deinde scriptor Ecclesiasticus eam viderit, aut legit vnquam per tot sæculorum curricula, quidquid in Apologia eiusdem Chronici habeat Biuar. de Iuliano, Euthrando, M. Maximo, & Hugone Portugalleñ, de quibus infra. Quod igitur opus, aut numquam editum est, aut dispendio nostro periit, prout conqueritur *Baron. annal. tom. 4. ann. Chr. 392.* post motam hanc litem è tenebris emerfit, Cæsaraugustæ typis editum ann. 1619. Ferunt ex Bibliotheca Fuldensi translatum, sed merum commentum id esse liquido constat, nam Marianus Scottus eiusdem Monasterij Monachus, diligentissimus Chronologus *id* legisset, & peruetus index Fuldensis Bibliothecæ ante quingentos annos scriptus in Vaticanâ Bibliotheca eum librum non agnouit. Hinc licet ex Neotericis nonnulli huius libri auctoritatem, admittant, eiusq. testimonio vsi sint, eruditi tamen eum spurium omnino censent, vel certè aliorum lacinijs assutum, & vitiatum; vt testantur *Cornel. Alapide in cronotaxi aët. Apost. ann. Chr. 101. fol. 12. Salazar. in tract. de Immacul. Deipara Virginis Concept. cap. 35. fol. 301. & seq. Iacobus Tiri-*

*nus. in commentar. Sacr. script. tom. 2. in indice auctorum Carill. in histor. S. Valer. cap. 14. fol. 186. Ioannes Perez Episcopus Segobien. vir eruditissimus, de quo Gaspar Esculanus histor. Valentin. lib. 2. cap. 1. Gabriel Pennottus in histor. tripartita Canoniorum Regularium cap. 52. & seqq. Thom. Caccinus histor. Eccles. d. volum. 1. lib. 4. cap. 9. anno Domini 43. & horum postremus Theophilus Rainaudus in libro de malis, & bonis libris partitione prima erotemate x. cuius verba libet apponere Fl. L. Dextri Cronicon nuper vulgatum suppositum fuisse Dextrolatè contendit Gabriel Pennotus in Canoniorum Regularium historia; Quamvis enim ipso Hieronymo teste verum sit Fl. Dexterum scripsisse Chronicum, quod eidem D. Hieronymo inscripserit, tamen hoc illud ipsum esse genuinum, cuius S. Hieronymus meminisse multa sunt quæ disuadent; nec quæ aduersus libri illius suppositionem proferunt Bivarius Commentator, ac defensor, et Melchior Incofer. lib. pro Epistola Deipara ad Messanenses à cap. 42. ad 46. explent verae legis animum, sic Aubertus Miræus vir doctissimus, præsertim in antiquitate Ecclesiastica, in notis suis ad S. Hieronymum de scriptor. Eccles. ait viris eruditis hæc fragmenta Dextri videri eiusdem farinae cum Beroso Anniij Viterbiensis. Et Canonicus L. Holstenius tum in antiqua historia, tum in quolibet eruditionis genere versatissimus, in vita Porphirij Philosophi cap. 10. auctorem tot assumentis adulteratum indignum existimat, qui ad testimoniū citetur. Esse autem meram imposturam, & figmentum chronicon illud, quod Dextero supponitur statim ex ipsa fronte apparet, vbi ille PseudoDexter se se in Oriente Præfectū Prætorio fuisse ait: quod præpicuæ falsitatis conuincitur ex diuersis legibus ad eum datis quæ passim in Codice Theodosiano erant: fuit enim Præfectus Prætorio Italiae, vt clarissimè patet ex l. 2. de indulgentiis debitorum, vbi Campaniam Italiae prouinciam eius iurisdictioni subiectā fuisse cognovimus: & certissimum est, ex multis alijs eiusdem Codicis Theodosiani legibus, eodem anno Rufinum famosum Claudia-*

ni insectatione Eunuchum fuisse Praefectū Prætorio Orientis, vt ex Indice Chronologico Antonij Contij videre est, vbi leges singulas Constantinopoli ad eundem Rufinum datas recenset, quibus fraus, & impostura huius Pseudo Dextri detegitur.

M. Maximus Episcopus Cæsaraugustanus vixit ad ann. salutis nostræ 616. de cuius sanctitate, & eruditione testatur Vassæus d. Chron. an. 610. & B. Isidorus in tract. de clar. Hispan. scriptor. in fin. eius opera simul cum Chronico Dextri impressa pluribus impugnat Gabriel Pennotus d. histor. tripart. cap. 53. ~~Atque epigrammata, in quibus de Athanasio fiet mentio, non temerè ei supposita censuit eidem Salazar d. lib. sive tripart. cap. 53.~~ Atque epigrammata in quibus de Athanasio fiet mentio, non temerè ei supposita censuit idè Salazar d. tract. de Immac. Virg. Concept. cum inelegans, & gracilis stylus auctori tanti nominis, & quem inter Claros Poetas Isidorus recenset, omnino aduersetur: Maximè ijs temporibus, quibus multos eximia eruditione celebres viros in Hispania floruisse habet Vassæus Chronicon ad an. Christi 591.

Vgo Episcopus Portugallen. vixit circa annum Domini 1100. Epistola aurem eius nomine nuper vulgata Athanasium Episcopum minimè nuncupat; verba sunt. *Quindecim mensibus vix fere elapsis, eius Magister Iacobus ad Cæsaraugustiam adiculam excitat in honorem Deiparæ Virginis, creatoque inibi Athanasio discessit, & Bracaram venit; vbi sacra eidem Domina cum Pio Hispalensi, & Elpidio Tolesano Episcopis, & alijs ex primis eius discipulis aliam adiculam in quadam cripta propè balnea iuxta templum Aegyptijs Isidi quoddam dicatum, & inde Brigantio nauim transcendens in Britannias appulit relicto Bracara S. Petro eius Vicario, & primario inter alios quos Sacrae in Hispania Episcopos.*

Circa quæ animaduerti potest, quatenus authenticus codex habeat verbum illud, creatoque inibi &c. in incerto relinquian Athanasius Presbyter vel Episcopus Creatus fuerit: secun.

secundo ex imperfecto, & indeterminato sensu coniecturam desumi corruptæ transcriptionis: Nam sermonis proprietati, & puritati proprius accedit, non *creato*, sed *relicto* inibi Athanasio in genuino codice haberi, quod facilius suadetur, obseruando eandem dictionem, seu dicendi modum vsurpatum, vbi de S. Petro post similis facti descriptionem fit mentio relicto Bracaræ S. Petro &c. Tertio ex diuersitate orationis, qua meminit scriptor de S. Athanasio, & de S. Petro etiam facti diuersitatem argui; de ordinatione enim B. Petri in Episcopum expressa fit mentio, de Athanasio secus, ex quo Episcopalem ordinem, nequam ei collatum, sed Petro tantum deducitur. Nec videtur ommittendum ex verbis expressis Dextri circa Legatos Apostolicos antiquitus in Hispaniam missos, quæ in dicta Epistola referuntur non magis eius chronici antiquitatem comprobari, ad quod allegatur, & in elogijs Dexterii fol. 9. & in Apologia ad eius chronicum apposita fol. 15. quam nouitatem epistolæ deduci posse vt potè post Chronici editionem studio confictæ, vt fidem ei conciliaret: Nam Cronicum anno 1619. vulgatum diximus, Epistolam verò ex Conuentu Conimbricensi Canonorum Regularium S. Augustini emmissam anno 1622. habetur in eadem Apologia fol. 15. quod ex ipso Epistolæ stylo euidenter dignoscitur nihil penitus de eius sæculi simplicitate habente quo ea scripta fingitur.

Sed etiam si hæc Epistola verè esset antiqua, & Vgonem Auctorem agnosceret: Cum tamen post motam litem edita fuerit, tanquam recens scriptum haberi debet, nec enim de antiquitate, & fide authentici constat, cum authenticum in Archiuo publico, & sub perpetua custodia seruatum non probetur ad *d. Aegid. decis. 70. numer. 3.* Et quatenus authenticum in publico Archiuo seruatum fuisset, nõ exhibetur, sed datur simplex exemplum absque iudicis præsentia extractum ex quo oritur suspicio minus fidelis transcriptionis, cum & in publico instrumento exscribendo (quod

ed magis in scriptura priuata dicendum est) præsentia Iudicis requiratur ad *text. in l. publicati 2. ubi glos. not. C. de testam.*

Quod autem dicimus de hac Epistola, & in Chronico Dextri, & in Carminibus, & Chronico M. Maximi, & in additionibus ad Maximum Braulionis; & Elecæ, & in eiusdem Braulionis, Taionis, & Valderedi carminibus simul cum chronicis Dextri, & Maximi per P. Torralbam ex Societate IESV ex Germania in Hispaniam transmissis anno 1594. vt habetur in prologo Apologetico *Murill. ad d. tractat. de fundat. Capp. Angel. fol. 2. & in d. Apologia ad Chronicum Dextri fol. 12. & 13.* Ac denique in alijs consimilibus libris eundem locum sibi vindicat; cuiusmodi A. Halli Poetæ Burdegallensis, Euthrandi, seu Luitprandi, & Iuliani Perez, seu Petri scripta quorum testimonio, & P. Lezana, & Biniarius vsi sunt: nam licet Euthrandus Ecclesiæ Toleranæ Subdiaconus, & Iulianus Perez Toletanus Archipresbiter S. Iustæ decimo sal. nostræ sæculo vixerint: atque Hallus Poeta scripserit duodecimo sæculo; attamen Halli Carmina de aduentu S. Iacobi. & Iuliani Chronica anno 1628. Luitprandi verò Chronica non nisi anno 1635. in lucem prodierunt; Quæ pluribus erroribus referta à viris doctis Romæ obseruantur, & hæc quò ad auctores antiquos.

Ex recentioribus non est qui de Athanasij Episcopatu ante hanc litem quidpiam tradiderit, nam ipse Petrus Antonius Beuter huius placiti primus assertor scripsit anno 1546. & sic decem annis post litem inchoatam, *vt admittit decisio sub num. 46 & 49.*

Nec seruatur eius auctoritas quia tunc temporis Athanasij Episcopatus non deduceretur pro vt respondetur *in decisione d. num. 49.* etenim cum lis esset super præminentijs, & sub ipsum litem initium Ecclesia del Pilar articulauerit Cathedralitatem suspicione nõ caret, fauore eiusdem Ecclesiæ Episcopatum hunc Athanasij fuisse excogitatum, quo facilius

37  
cilius articulata Cathedralitas historicorum testimonio accedente comprobaretur.

Satis profecto (quando ipsa veritas contrarium non suaderet pro vt ex superius dictis patere potest) scriptoris fidei vnum hoc derogat, de re adeo antiqua testimonium proferri, nullo aut historię aut alio publico documento adducto, quoniteretur. De Numa scripturus Plutarcus quo tempore is vixerit, ausus non est affirmare quoniam id ex Olympicorũ certaminum victoribus esset deducendum, quorum certamonumenta deficerent: Hyppiæque Elæo scriptori succensuit quòd illorum descriptionem serò admodum edens nullo vsus esset rei fundamento, cui fides necessario fuerit habenda. Quod in historia Ecclesiastica, cum eo sanctius sit obseruandum, & recentiores nonnullos notet Baronius ad annum Christi 78. quia Thomæ Bartholomei, & aliorum Martyria sine auctore eo anno contigisse tradiderint: hoc ipsum à Beutero ommittendum non erat, nec immerito, cum is rem nouam, & cui validissima argumenta aduersantur, proprio contentus Iudicio nobis proponeret, sententiam eius reiecit Vasæus in Chronico rerum Hispaniæ anno Domini 44. vt pote ab epistola Leonis III. quam superius retulimus, manifestissime explosam.

Hieronymus Blancas in commentarijs rerum Aragonensium, vbicunque de Athanasio mentionem iniecit, cum in re perantiqua, & nullo certo fundamento suffulta versaretur, grauitatis suæ non oblitus, nihil temerè de eo prodidit, sed que in vulgus emanauerint, simpliciter refert. Hinc sub fol. 11. de Athanasij conuersione sic loquitur. *S. Athanasius B. Iacobi Apostoli discipulus. è nouem ab eo vt proxitur. ad Christianam nostram fidem conuersis vnum, & fol. 3. de primis Casaraugustæ Episcopis mentionem factururus, nequid omitteret quod ad Patriæ suæ gloriam conferret, de Athanasij Episcopatu sic inquit. Post D. Athanasium ipsius Apostoli discipulum, quem primum Casaraugustanum Episcopum memorant, B. etiam Felicem circiter annum Christi 225. se-*  
*disse*

disse constat, atque cum Diuus Cyprianus fidei cultorem, ac  
 defensorem veritatis appellat. Quibus in locis facile est ani-  
 maduertere de Felicis Episcopatu, cuius certa extant mo-  
 numenta non ambiguis verbis historicum loquutum esse:  
 Cum ad Athanasium ventum esset, famæ testimonio vsum,  
 esse scriptorem, ne fidei historicæ in re dubia periculum  
 fieret; quam scribendi rationem seruasse historicos rem an-  
 tiquam, aut incertam narrare aggressos neminem latet.  
 Plutarcus in vita Thesei de Ariadnæ morte varios nec con-  
 uenientes sermones referens, alij (inquit) hanc à Theseo re-  
 lictam suspendio vitam finivisse memorant alij in Insulam Na-  
 xon à nautis deportatam &c. Livijs de Romulo, & Remo  
 mentionem faciens verba ferunt, fama est, iterum iterum-  
 que inculcat. Ita velut defuncti Regis imperio in proxima  
 alluvie, ubi nunc ficus ruminalis est (Romularem vocatam fe-  
 runt) pueros exponunt &c. tenet fama, cum fluitantem alucam  
 quo expositi erant pueri, tenuis in sicca aqua desitisset, lupam  
 sitientem ex Montibus, qui circa sunt ad puerilem vagitum  
 cursum flexisse: eam summissas infantibus adeo mites prebuis-  
 se mammæ ut linguam lambentem pueros magister Regij peco-  
 ris inuenerit; Faustulo fuisse nomen ferunt &c. sic Iustinus hi-  
 stor. lib. 44. postquam de Habide dixit quem Atti iussu ex-  
 positum cerua nutrierat subiungit, Huius casus fabulosi vi-  
 derentur, nisi, & Romanorum conditores lupa nutriti, & Cy-  
 rus Rex Persarum cane alicui proderetur.

Eodem pacto de Athanasio loquitur Ambrosius Morales in  
 Chronico Hispaniæ lib. 9. cap. 7. fol. 229. enumeratis enim  
 discipulis ab Apostolo conuersis, hoc est Torquato, Isichio,  
 Euphrasio, Cicilio, Secundo, Indaletio, Tesiphonte,  
 Athanasio, & Theodoro subiungit; ac primum ex his ultimis  
 reliquit Apostolus (ut affirmatur in Ciuitate Caesar augustana)  
 eiusdem Urbis Episcopum, Alterum vero Presbyterum, quod  
 iisdem omnino verbis asserit Ribadeneira in libro Flos  
 Sanctorum in vita S. Iacobi.

Cum igitur, & Blanchæ, & Moralis, & Ribadeneiræ assertio sola  
 famæ

famæ auctoritatē submixta sit, maiorem probationem quam ipsa fama facere nequit: quæ cum Cæsaraugustanæ diversa, & cōtraria vigeat, prout à partibus originem duxit, utriusque in re præsentis nullius ponderis cēfenda est; cū enim fama sit

*Tam ficti, prauique tenax, quam nuncia veri.*

Id genus probationis non passim, & indistinctè etiam in antiquis admittitur, sed ita demum si ea constans, inconcussa, & contraria fama non debilitata appareat *Bald. in l. conuen- ticularum, C. de Episcopis, & Clericis, vers. ex his etiam infero. Corn. conf. 304. num. 7. vol. 3. Rol. conf. 4. numer. 48. & seqq. vol. 1. Menoch. conf. 191. num. 86. Surd. conf. 151. numer. 79. Rota apud Seraph. decis. 355. nu. 5; Gregor. decis. 325. nu. 17. & seq. & decis. 570. num. 7. Caualler. decis. 6. num. 5. & rec. part. 1. decis. 176. num. 10. & 13. & decis. 299. numer. 3. & par. 6. decis. 205. num. 19.*

*Maurus Castella in histor. S. Iacobi pag. 85. & Marill. in d. tract. de fundat. Capp. Ang. cap. 17. Dexteræ auctoritatem referunt quam Murillus non tantum sequitur, sed etiam ipsi historiæ foundationis præfert. Buiarius Dextri Commentator ad ann. Christi 37. Comment. 2. Dexteræ traditionem M. Maximi epigrammate comprobatur; proinde dempta auctoritate dictæ epigrammatis, & Chronici Lucij Dextri cessat auctoritas, & Castellæ, & Murilli, & Buiarij; cum plus auctoritatis in referente, quam in relato esse nequeat, l. in testam. 27. ff. de condit. & demonstr. Bartol. in l. post legatum num. 2. ff. de his quib. ut indign. Roman. consil. 994. numer. 1. Dec. conf. 463. nu. 14. Aymon. conf. 112. num. 13. & conf. 115 num. 8 Rota apud Merlin. decis. 694. num. 23.*

Quod scribit Comestabilis Castellæ in primo discursu pro aduentu S. Iacobi fol. 10. Athanasium fuisse Episcopum Cæsaraugustanum, Theodorum verò Presbyterum in Ecclesia del Pilar Similiter ex Dextro mutuatum constat legentis eius Chronicum ad annum 37. & 41.

*Franciscus de Padilla hist. Eccles. part. 1. censur. 1. fol. 18. post relatam foundationem Ecclesiæ del Pilar subiungit, Aucto-*

res



res de hoc scribentes asserere B. Iacobum in dicta Ecclesia Athanasium Episcopum, Theodorum Presbyterum constituisse. At historiam suam edens anno 1605. paucos reperire sanè potuit qui eum præcesserint, assertionis huius auctores: Nec Valæi censuram ad Beuteri traditionem accuratum alias Scriptorem latuisse facile credam, sed potius Dextro in hac re accessisse, cuius chronico in multis locis operis sui eum usum esse testatur Auctor dictæ Apologiæ ad Chronicum Dextri fol. 15. in fine.

Nec alio testimonio, & Franciscum Peredam in libro *Patrona Mariti lib. 4. cap. 1. fol. 271.* & Antonium de Cianca in *hist. v. t. e. S. Secundi fol. 2.* vlos esse, par est credere: Quamvis nec Dextri auctoritatem, nec aliud argumentum proferre curauerint quo rem firmarent, quasi satis auctoritatis, & fidei in eorum assertionem cõsisteret quemadmodum, & Beuterus sibi persuasit.

Itaque & Comestabili, & Padillæ, & Peredæ, & Antonio de Cianca non magis ac Murillo, Biuario, & Mauro Castellæ est deferendum: imo omnes ex vnius Dextri auctoritate loquentes tanquam vnicus Scriptor censi debent, prout dicitur de testibus, qui ab vno tantum audiuerint ad *text. in cap. licet ex quadam ubi glos. & Butr. numer. 6. de testibus & adducta per Galv. de testibus conclus. 3. num. 4.*

Jacobus Valdes in *tract. de dignit. Reg. Regnorumq. Hispan. cap. 6. num. 22. fol. 56.* De discipulorum numero quos Apostolus conuertit, nihil certi in tanta varietate, & contentione Scriptorum affirmari posse fatetur: De Athanasio autem, & Theodoro in Ecclesiæ Cæsaraugustanæ monumentis haberi, alterum Episcopum alterum Presbyterum in eiusdem Ecclesiæ cultum ordinatum fuisse. At cum de Athanasij Episcopatu nullum in Ecclesiâ S. Saluatoris aut in Ecclesiâ del Pilar (quatenus Cæsaraugustanæ Ecclesiæ nomine eam Valdes. designasset) monumentum extet, imo in historia illius foundationis de Theodori in Presbyterum ordinatione dumtaxat mentio habeatur: proinde Valdesij dictum tantum

tum probat quantum historię aut documenta, ad quę se  
refert ex *trad. per Seraph. decis. 836. nu. 4. Gregor. dec. 439.*  
*num. 2. Merlin. decis. 589. num. 6. & 7. & decis. 718. nu. 12.*  
*& decis. 681. num. 5.*

Gabriel Pennottus Ceteris in hac re acuratioꝝ dubietatem  
huius traditionis pluribus tollere contendit, & primo ex  
sententia per Consil. Regni Aragon, lata anno 1605. super  
præcedentia in Comitijs generalibus ab alijs Regni Cathed-  
ralibus, excepta Metropolitana, Ecclesię del Pilar conce-  
denda: secundò ex auctoritate Scriptorum de quibus ha-  
ctenus diximus: tertio ex litteris Gelasij Secundi Pontifi-  
cis directis exercitui fidelium Cæsaraugustam obsidentium  
de quibus in *decis. num. 61.*

Sed ad primum respondetur nullum fundamentum in dicta  
sententia fieri posse, tanquam à Laicis prolata in causa  
Ecclesiastica, in qua carent omni iurisdictione *cap. decerni-*  
*mus extra de Iudic. Can. bene quidem, & Can. denique dist. 96.*  
*glos. in cap. significasti de for. compet. Rol. consil. 4. numer. 7.*  
*& 8. vol. 1. Surd. cons. 21. num. 31. Seraph. decis. 497. nu. 5.*  
*Ror. recent. par. 3. decis. 517. num. 4. & 5. & latè in decis. 42.*  
*à num. 1. par. 7.* Maxime cum sit sententia recens, & Iuris  
quæstionem decidens ex facto antiquissimo dependentem;  
Quare nec locum habet doctrina *Surdi in cons. 338. num. 26.*  
vbi sensit, causam Ecclesiasticam etiam à Laico cognosci  
posse, vbi agitur de possessione, & non est quæstio iuris, sed  
præsentanei facti; nec *decisio Seraphini 1047. numer. 3. & 4.*  
*aut decis. 673. par. 2. recent.* in quibus ex sententia antiqua  
desumitur adminiculum ad probationem facti antiqui.

Ad secundum patet responsio ex ponderatis circa adductorum  
Scriptorum dicta, & auctoritatem.

Tertium tollitur animaduertendo, litteras Apostolicas datas  
fuisse quo tempore Saraceni Urbem tenebant, & Ecclesia  
del Pilar erat actu Cathedralis, Episcopis in ea residentibus;  
Quamobrem vt Cathedralis Cæsaraugustanæ Ecclesię ti-  
tulo eam à Pontifice nuncupari decuit: non tamen à Ca-

thedralitate actuali ad habitualement inferitur, quæ penes Ecclesiam S. Salvatoris semper remansit, vt proxime dicitur, & de Ecclesia curata, in qua ob Populi recessum exercitium curæ fuit destitutum *tradit Falin in cap. postulasii num. 1. de rescript.* Imo quatenus Ecclesia del Pilar in litteris Apostolicis fuisset expressa, & Cathedralis nuncupata, eiusmodi verba à iure interpretationem reciperent, vt de Cathedralitate actu sint intelligenda, non autem habitu, quæ ab Ecclesia S. Salvatoris amitti nequijt, vt in simili de mentione curæ facta à Pontifice Respondit *Rota recent. par. 4. 10. 2. decis. 316. num. 9.*

De Carillo nihil addendum videtur cum superius satis ostensum fuerit quid de Cathedralitate Ecclesiæ del Pilar, & cōsequenter de Episcopatu Athanasij senserit quicquid in aduertentiis ad euitandas contentiones Religiosæ humilitatis studiosus scripserit. Ex quibus manifestum puto nullam probationem ex relatis auctoribus quo ad Athanasij Episcopatum deduci posse, Maximè attentis fundamentis, quibus contrarium euidenissime probatum fuit.

N. 20. Non ommittam tamen dubitationem, quæ forsan non ineptè excitari posset, an scilicet admisso Episcopatu Athanasij, & eius sede in Ecclesia del Pilar, aliarum Ecclesiarum Caput, & Superior ea Ecclesia constituta fuerit. Nam licet Cathedra Episcopalis seu Episcopi constitutio Cathedralis, vt Superius diximus Ecclesiam constituat: nulla tamen, ad effectum, vt Ecclesia Episcopali Cæteræ inferiores essent, ex sede Episcopi præminentia conferri potuisse videtur, antequam Episcopo Presbyteri, & totius Diœcesis Ecclesiæ subijcerentur, cum Episcopus nō potuerit propriæ Ecclesiæ ius superioritatis, quod non habebat, tribueræ: & cum post Diœcesum distinctionem dumtaxat id contigisse senserit *Lorerius de re benef. lib. 1. qu. 10. nu. 6. Sequutus Abb. sin cap. vlt. nu. 10. de vtil. vel inut. confirm.* Diœceses vero per Dionisium Pontificem distinctæ fuerint ad *textum in Can. Ecclesias 13. quasi. 1.* atque ita longe post tempora  
Apoſto.

Apostolorum: videtur intentari posse, Ecclesiam del Pilar nullam ex ijs præeminentijs, quibus hodie Cathedrales fruuntur, ex Episcopatu Athanasij consequi potuisse, nisi ulterius Episcopus aliquis post distinctas Diöceses in ea sederit.

Nec refragatur Diöceses ante Dionisium distinctas fuisse ad tradita per *Baron. ann. Christi 270. num. 17.* quod ex congestis per *Gratian. distinct. 80. per tot.* verius videtur, & amplexa est glosa in *d. Can. Ecclesias verbo diuissimus*. Nam B. Iacobi tempore, à quo Athanasius Episcopus ordinatus asseritur, eam distinctionem nondum factam probari potest: quia licet in primitiua Ecclesia vigeret Episcopalis dignitas ab ipso Christo originem ducens, vt doctissime ostendit *Baron. ann. Christi 58.* Communi tamen Episcoporum, & Presbyterorum Consilio Ecclesiæ gubernabantur, donec oborto Scismate consuetudine potius, quam dispositione Dominica factum est, vt Presbyteri Episcopis subijcerentur ad *xxi. in Can. olim dist. 95.* Cum autem primum in Ecclesia scisma Corinthi factum deducatur ex epistola Pauli ad Corinthios *cap. 1.* vbi concertantes increpat quia alter alteri præferri vellet, dicentes ego quidem sum Pauli ego autem Apollo, ego vero Cephæ: Quam epistolam scripsit Paulus Ephesi degens *anno Christi 57. vt deducit Baron. ad d. annum sub principio:* necessario sequitur B. Iacobi tempore, qui Herodis iussu eo dem *Baronio teste ann. Domini 44.* necatus est, nondum Presbyteros Episcopis fuisse subiectos, nec Diöceses distinctas, vnde dicta subiectio resultauit; Quamobrem & si Iacobus Athanasium Episcopum ordinasset Ecclesiam tamen Cæsaraugustanam comuni Presbyterorum Consilio ab eo rectam consequeretur, vt ignota Prælati in Presbyteros, & eorum Ecclesias iurisdictione, necessario ignota fuerit Ecclesiæ Superioris, & inferioris distinctio. Et hæc dicta sint ad vberiolem discussionem materiæ; cum alias Athanasium, neque Episcopum à B. Iacobo ordinatum neque in Hispania relictum, abundè probatum fuerit.

N. 21.

**A**D primum adminiculum ex residentia Episcoporum in Ecclesia del Pilar deductum Respondetur, ea quæ traduntur per *Murill. à cap. 20. ad caput 31.* seu per *Patrem Lezanam cap. 2. per tot.* probare quidem continuatam seriem Episcoporum, qui Cæsaraugustæ præfuerint, non autem in Ecclesia del Pilar eos resedisse; quod ut euidentius pateat difficultati propius accedentes, Cæsaraugustanos Episcopos ad duas classes redigamus; quarum prima, qui ante Maurorum tempora, secunda qui sub Maurorum imperio federint, complectatur.

Qui, occupata à Mauris Cæsaraugusta Ecclesiam rexerunt, eos in Templo Sanctissimæ Virginis consedisse, historici omnes memoriæ produnt: at eorum sedes non nisi temporalem Cathedralitatem eidem templo cōferre potuit; quippe Ecclesia S. Saluatoris, quam ante Hispaniarum excidium Cathedralē fuisse ostendimus, Maurorum Ritibus profanata dignitatem tamen suam habi u retinuit, quam vindicata à Christianis libertate iterum actu, & verè recepit *ad text. in Can. pastoralis 7. quasi. 1. ubi glos. notab. & tradita in simili de Parochiali per Loter. de re benef. lib. 1. quasi. 20 num. 153. & Seraph. decis. 1287. numer. 2.* Prout dubitationem non subit, quin templi Cathedralis S. Sophiæ, quòd hodie à Turcis Constantinopoli occupatur, primæua iura, & prærogatiuæ non perissent, si illud Christiani recuperarent.

Qui verò Maurorum tempora præcesserunt in Ecclesia S. Saluatoris, utpote Cathedrali resedisse præsumendum est, cum Prælatus domicilium suum propè Ecclesiam Cathedralē habere teneatur, ut etiam in *decis. arguitur sub nu. 53.*

Nec obstant, quæ proponuntur de SS. Valerio, & Braulio, quorum primum ex *Aymoino lib. 1. cap. 6. de translat. Corporis S. Vincent. atque ex Prudentio in 4. hymno de 18. Martyr. alterum*

alterum ex Breuiario S. Hieronymi præter Neotericos de  
vtroque testantes, in Ecclesia del Pilar sedem habuisse de-  
duci videtur.

Nam verius est dictos Episcopos in Ecclesia S. Saluatoris refe-  
disse, vt ex pluribus instrumentis inscriptionibus, & consti-  
tutionibus in *decis. relatis sub num. 16. & seqq.* abundè pro-  
batur; quæ quidem de Ecclesia, & Cathedra Cæsaraugu-  
stana in abstracto iuxta expositionem in calce decisionis  
allatam intelligi nequeunt; quia quatenus hanc interpreta-  
tionem admitterent simplices enuntiatiuæ de Ecclesia Cæ-  
saragustana, vtique eam respuunt enunciatiuæ de templo  
S. Saluatoris, tum quia titulus Saluatoris adiectis certam-  
ædem Saluatori dicatam designat *iux. Præposit. in Can. San-  
ctorum num. 2. vers. ad secundum 10. quæst. 1.* tum quia licet  
Ecclesia non tam pro loco, in quem fideles conueniunt,  
quam pro ipso fidelium Conuentu accipiatur iuxta *glos. in  
cap. cum quærelam verbo præfatam Ecclesiam. Ne Prel. vices  
suas, & Baron. ad ann. Christi 57.* Attamen templum pro  
loco tantum propriè vsurpari indicat *text. in l. si nondum, C.  
de furt. & Baron. ad d. ann. 57. ibi. Templum quoque sæpius  
idem locus dictus est, uequaquam verò à maioribus delubrum,  
vel fanum, &c.* imò templum pro ampliori Ecclesia, & ad  
differentiam Sacelli acceptum apud Canonistas notat *Loter.  
de re benef. lib. 1. quæst. 13. num. 5. post Bellameram in cap. &  
hoc dicimus num. 8. 16. quæst. 7.* qua propter cum in lectio-  
nibus, quæ in Episcopatu Cæsaraugustano recitantur die  
20. Octobris, non solum Cæsaraugustanæ Ecclesiæ, sed ex-  
pressè templo S. Saluatoris B. Valerium præfuisse legatur his  
verbis. *Ac postquam idem Rex Alphonsus Secundus misit ad  
d. Ecclesiam S. Saluatoris Caput S. Valerij, quidam Prior Roten-  
sis misit etiam brachium S. Valerij Antistitis eiusdem Ecclesiæ  
ad quam miserat Rex Caput, &c. quo scilicet Reliquia tantæ  
Pastoris, & Prælati, illiusque Sanctissimæ viri venerantur in  
eadem Ciuitate, & templo, in quo præfuit tanta sanctitate &c.  
Cæsaraugustanam Ecclesiã spiritualiter, aut Cathedralem*  
in

in abstracto considerare non possumus, cum determinetur locus, templum scilicet Salvatoris, in quo vir sanctissimus præsuit, & Cathedram collocavit.

Itaque attendi non debet historia translationis Corporis Sancti Vincentij quatenus S. Valerium cum S. Vincentio eius Archidiacono Ecclesiæ B. M. præfuisse memorat; Quia dicta historia, & si grauiissimi auctoris Aymoini Monaci nomen prætendat, ei tamen falsò tribuitur, vt ex ipso operis initio apparet quod ab anno 855. desumptum ad annum 863. & vltra protenditur: Cum tamen Aymoinus Superiori sæculo vixerit, pro vt in *historia Francorū lib. 4. cap. 54.* ipsemet his verbis testatur, *A passione Domini vsque ad istum annum presentem qui est decimus nonus Principis Caroli (Marcelli videlicet) sunt anni 735.* quo tempore eum historias scripsisse constat, & propterea ad dictū annum 863. superuiuere non potuisse,

Sanè dictam historiam Iacobus de Breul Monachus S. Germani à Pratis eius temporibus prælo commissam fateatur, quam ex antiquo Codice manuscripto in Bibliotheca eius Monasterij existente exscribi, & historiæ Francorum adijci ijdem Monaci curauerunt. Quamobrem quatenus auctor aliquis antiquus eam historiam condidisset, non tamen ex ea tanquam antiqua argui posset, cum eadem recenter ex priuato exemplo transcripta in lucem prodierit: nisi id exemplum sub publica custodia seruatum, & historia vulgata fideliter ex dicto exemplo extracta probaretur, ita vt in neutrum quippiam irrepere potuerit quod antiquo, & genuino Codice aduersaretur argumento *text. in cap. tum ex litteris, S. nos igitur, vers. perspeximus quoque, & ibi glos. verbo ex parte tua, de in integr. restit. cap. ad audientiam, de prescript. & Auth. ad hec C. de fid. instr.*

Multò minus ex hymno Prudentij desumendum est argumentum residentia S. Valerij in Ecclesia del Pilar, cum de ea totum carmen nec verbum habeat, nec Prudentius somniauerit, nec quisquā ex multis qui Prudentiū exposuerunt. Si inspiciatur propositio

Bis

*Bis nouem nosſer Populus ſub vno  
Martyrum ſeruat cineres ſepulcro  
Ceſarauguſtam vocitamus Urbem,  
Reſ cui tanta eſt*

Ceſarauguſtam laudari conſtat præ reliquis Hiſpaniæ Op-  
pidis Martyrum reliquijs ditatam, vt not. *Victor Giſelin in  
comment. ad d. hymnum verſ. 1. Nec ſubſequeus carmen.*

*Plena magnorum domus Angelorum*

Ad aliud quam proximè enunciataſ Urbem referri poteſt,  
prout etiam illud.

*Chriſtus in totis habitat plateis*

*Chriſtus ubique eſt*

Confert mox Poeta Ceſarauguſtam cum alijs Hiſpaniæ Vr-  
bibus, eamque cæteris omnibus maiorem Martyrum nu-  
merum Deo oblatam concludens, ab ijs verſibus

*Tu decem Sanctos reuehes, & octo*

*Ceſarauguſta &c.*

Eiuſdem Laudes per totum hymnum proſequitur, Marty-  
rum patriam, templum, & paleſtram eandem nuncupans vt-  
potè quæ Sanctorum foecunda ad obeundum Martyrium  
ita fideles exercuerit, vt Martyrum cruore ubique irrigata  
veluti templum colenda eſſet; quæ quidem ad Eccleſiam  
del Pilar referri nequeunt; cum oratio eadem continetur  
& ſæpius pronomen iſtud, atque aduerbia, hinc, inde, re-  
petantur.

*Martyrum credas patriam coronis*

*Debitam ſacris, chorus vnde ſurgens*

*Tendit in Cælum niveus togata*

*Nobilitatis*

*Inde Vincenti tua palma nata eſt,*

*Clerus hinc tantum peperit triumphum,*

*Hinc Sacerdotum domus infulata*

*Valeriorum*

*Senus antiquis quoties procellis*

*Turbo vexatum tremefecit Orbem*

*Triftior*



*Tristior templum rabies in istud*  
*Iniulit iras & paulò inferius*  
*Nonerat templo celebres in isto*  
*Octies partas deciesque palmas,*  
*Laureis doctus patrijs, eadem*  
*Laude cucurrit*  
*Hic & Encrati recubant tuarum*  
*Ossa virtutum &c.*

Quæ demonstratiua sunt ad oculum Urbis Cæsaraugustæ, de  
 qua superius dixerat *ad not. per Rebuff. in l. i. ff. de verb. signif.*  
 & *Isonem Magistrum in glos. ad eundem Hymnum n. 77. & 78*  
 Confirmatur hæc veritas animaduertendo, tum perlequutionem à Diocletiano in Christianos excitatam non in B. Mariæ templum, quod imo Daciani furorem B. Virginis præsidio euasit Thoma Caccino teste *in d. hist. Eccl. vol. i. ann. Domini 43.* sed in Cæsaraugustam læuius, quam alias Hispaniæ Vrbes incubuisse: Vnde Christianos templi nomine à Poeta expressos sensit *Elius Antonius Nebriffensis in annot. ad d. hymnum num. 83.* vsus Apostoli testimonio, *An nescitis quod templum Dei estis?* tum subsequenti carmina de Encratidis sepultura Ecclesiæ del Pilar neutiquam conuenire, non enim Sanctæ Encratidis cineres in templo Sanctissimæ Virginis, sed humi ignoto sepulcro conditi, atque anno demum 1389. reperti, vt colligitur ex Ioanne Veitzio ad eundem hymnum sub princip. & Biuario ad Dextrum anno 300. *comment. 3.* in eiuſdem D. Encratidis templo cum reliquijs octodecim Martyrum hodie adseruantur, vt habet Vafæus in Chronico Hispaniæ ad ann. Domini 306.

Quid autem habet cum Ecclesia del Pilar domus Valeriorum? num quia adiacet Ecclesiæ del Pilar aula, quæ dicitur Valeriana, coniecturam deducere possumus, eam Valeriorum fuisse, & ex hac coniectura aliam coniecturam videlicet fuisse S. Valerij Episcopi potius quam aliorum ex gente Valeria: Et rursus Sanctum Valerium non modo fuisse Dominum eius domus, sed in ea habitasse, vt ex domiciliij proximitate

mitate colligatur Cathedralitas contiguæ Ecclesiæ, quasi ex vna præsumptione alias atque alias deducere iuris regulis non aduerfetur?

Sed hoc deducit Murill. ex eo Prudentij :

*Hinc Sacerdotum domus infulata*

*Valeriorum*

Cui verò suaderi <sup>†</sup>potest, Prudentium de ædibus non autem de gente Valeriorum loquutum esse, quæ domus nomine optimè exprimi potuit iuxta illud Virgilianum

*Sergentusque, domus tenet à quo Sergia nomen*

& ex infulis Episcopalibus domiciliū potius laudare voluisse quam familiæ dignitatem, & sanctitatem quemadmodum Aucheni generis nobilitatem, ex fascibus repetijt Claudianus

*Per fasces numerantur aui*

At de his satis

Similiter Sanctum Braulium in Ecclesia del Pilar Sedem posuisse, vt inde eiusdem Cathedralitas deduci possit, ex Breuiario S. Hieronymi non elicitur, sed immò contrarium; Cum enim Synodo celebrata vnusquisque Episcopus ad propriam Sedem reuersus, B. verò Braulius in Ciuitate Cæsaraugustana in S. Maria Maiori Sedem suam diuinitus si tuasse dicatur: vtique Ecclesiam S. Mariæ non fuisse consuetam Sedem Episcoporum manifestè deprehenditur, si in ea Diuino monitu Sedem suam, & domicilium Diuus Braulius collocauit; nec enim verbum illud *diuinitus* ad Episcopalem ordinem (vt sensit Rota) Diuini Spiritus decreto ei collatum, de quo separata, ac perfecta periodo superius dictum fuerat, sed ad proxime enunciata Sedis situationem referri debet, *iuxt. theoric. gloss. in l. final. verb. & hoc amplius. ff. de reb. dub. & Bartol. in l. talis scriptura. §. final. num. 3. de legat. 1. quem sequitur Rot. coram Merlin. decis. 237 num. 8. & 9.*

Quod confirmatur ex diuersitate orationis, qua de alijs Episcopis, & B. Braulio fit mentio; Si enim B. Braulius ad propriam Sedem reuersus esset, superuacanea fuisset expressio

G

*† potest*

pressio eius reditus ad Ecclesiam S. Mariæ Maioris quippe verbis illis vniuersalibus comprehensi vnusquisque ad propriam Sedem, reuersus est. At quia ad Cæsaraugustam repertens non ad propriam Sedem, sed ad Ecclesiam B. Virginis numine iubente diuertit, ideo id factum expressè recensetur cōtinuata narratione per aduersatiuum *vero*, B. *vero Braulius &c.* cuius dictionis natura est aduersari in casu qui continetur sub generalitate præcedenti *ad tex. in l. mariti S. eum autem, ubi glos. & Bart. ff. ad l. Iuliam de adulter. & l. hoc amplius, §. de his autem, ff. de damno infecto. Corn. cons. 86. n. 12. in fin. vol. 3. & cons. 233. num. 3. & cons. 247. num. 5. vol. 4.*

Et idem Breuiarium S. Hieronymi nobis indicat, dum post narratam Synodi celebrationem, & positam Sedem à B. Braulio in Ecclesia del Pilar sub lectione septima subdit, *S. Braulius reuersus ad Sedem propriam anno vigesimo sui Pontificatus, ætatis vero centesimo dura ægitudine occupatur &c.* Ex quibus liquet B. Braulium ex Cōcilio Toletano redeuntem se quidem transtulisse ad Ecclesiam S. Mariæ Maioris, non tamen semper in ea permanisse, sed ætate prouectum ad Ecclesiam Sancti Saluatoris antiquam Episcoporum Sedem esse reuersum.

Verum quatenus SS. Valerius, aut Braulius in Ecclesia del Pilar resedissent Cathedralitatis eius Ecclesiæ infirmissimum, neque concludens argumentum hoc esset, si modo temporū, quibus viri ij Sāctissimi claruerunt, ratio habeatur. Sanctum Valerium Episcopum, & S. Vincentium eius Archidiaconum Ecclesiæ Cæsaraugustanæ præfuisse, grassante in Christianos Diocletiani, & Maximiani persecutione, conueniunt omnes Historici.

Primum Edictum in Christianos propositum refert *Euseb. hist. Eccles. lib. 8. cap. 3.* Quo mandatum fuit, ut Ecclesiæ deturbarentur, soloque æquarentur, scriptura absumerentur igni: qui honorem fuissent adepti de gradu turpiter deponerentur, & priuati si modo in professione Christiana præstarent, libertate penitus priuarentur. Non longo post tempore alijs exeuntibus

bis

51

bus litteris edictum est, ut omnes Ecclesiarum Praesides ubique gentium primum conijcerentur in vincula, deinde omnibus machinis adhibitis idolis victimas immolare cogerentur, ut ibidem testatur Euseb.

Primus igitur furor in Ecclesias incubuit; easque protinus solo aequatas verisimile est, quippe mandatum illud facilius peragi potuit caeteris tempus, & causae cognitionem (ut ita dicam) poscentibus.

Dacianus persecutionis huius in Hispanijs minister sacras aedes ubique diruit, Caesaraugustae una Ecclesia del Pilar Sanctissimae Virginis patrocinio seruat, ut scribit Thom. Caccin. *histor. Eccles. vol. I. ann. Christi 43.*

Id autem actum anno Christi 302. quo primum Diocletiani edictum emanavit, colligitur ex Baron. ad eundem ann. in princip. Christianorum caedem non nisi anno 303. initium habuisse, quo Dacianus Caesaraugustam venit, ibique carnificinam exercuit, tradit idem Baron. ann. 303. num. 134. & seqq. ubi subdit, ne vlla reliquia esset Martyribus ibi positis consolatio quam perciperent, vel exhortatione Sanctorum, vel exemplo virtutis, & eorum patiendi constantiae. Dacianum curasse ut inde abduceretur Valerius eius Ciuitatis Episcopus, eiusque Diaconus opere, & sermone pollens Vicentius quem Valentiam ad supplicium amandauit.

Vasus in Chron. rerum Hispan. sub ann. 306. hanc cladem recenset. At siue anno 303. siue 306. Caesaraugustana Ecclesia fuerit afflicta, ab anno 302. quo Ecclesiae omnes fuerunt euersae ad annum 303. siue 306. Beatum Valerium Episcopum, & Beatum Vincentium eius Archidiaconum Caesaraugustae commoratos esse ex consilio quod in eos cepit Dacianus manifestum est; quo tempore fieri potuit, imò factum necesse est, ut B. Valerius cum B. Vincetio in Ecclesia del Pilar, alijs dirutis sede posuerit, ut refert historia translationis S. Vincentij Aymoino Monaco falso tributa.

Sed restituta per Constantinum magnum Imperatorem Christiana libertate, & relictis eius decreto per totum terrarum

Orbem Ecclesijs, quas Superiorum Cæsarum vesania deiecerat, vel Cæsaraugustanas Ecclesias, Cathedralem verò potissimum restauratam tum dignitas templi, cum Urbis opulentia, & Christianorum numerus suadet, quo tunc temporis Cæsaraugustam non cum Urbibus, sed cum Prouincijs certare potuisse, tradit *Vasius d. chron. ann. 306.*

Hinc Sedem in Ecclesiam del Pilar publica calamitate translata, cessante persecutione antiquæ Ecclesiæ restitutam necessè est, prout Ecclesia casu fortuito destructa, & reedificata antiquas prærogatiuas, & primæua iura recuperat ad *glos. in cap. privilegium 7. verb. privilegium, versic. si autem destruat ab hostib. de regul. iur. in 6. Decian. conf. 93. nu. 14. lib. 5. Pœnia decis. 117. num. 6.*

Non absimili causa contingere potuit vt S. Braulio Ecclesia del Pilar sedem præbuerit, cum enim S. Braulius Leouigildi Regis filius, Gregorio Pontifice Romæ sedente, regnante verò in Hispania Recaredo eiusdem Braulij, & S. Hermenegildi fratre, in tertio Concilio Toletano Cæsaraugustæ Episcopus electus fuerit, iuxta Breuiarium ab Ecclesia del Pilar anno 1539. productum coram Iudice compromissario Ferdinando de Aragonia Archiepiscopo Cæsaraugustano; quo tempore, etiam si Rex Arianam hæresim abiurasset, ea tamen per Hispaniam, atque Africam quam latissimè radicibus propagatis exemplo excidi, atque ex ~~amnis~~ populorum auelli nequijt: & fieri potuit, & verisimile est vt Sanctus Braulius, Cathedrali ab Ariano Episcopo occupata, in Ecclesia Beatissimæ Virginis sedem suã collocauerit: quippe Leouigildi Regni temporibus Arianos Episcopos primoribus in templis sedisse, Catholicos verò eo concessisse quo Regum coniuentia, vel populorum studia dedere, ex historia Hispaniæ compertum est, & præsertim ex *Vasii Chronico cap. 20.* quos quidem non omnes neque protinus à Recaredo proprijs Ecclesijs restitutos, sed prout temporum, & rerum conditio patiebatur, vnicuique suaderi potest.

Carillus quidem in historia S. Valerij fol. 230. S. Braulium Cæsaraugustanæ

sedem.

arianis

faraugustanæ Ecclesiæ ab anno 624. ad annū 644. præfuisse,  
 probare cōtendit, atque ita longè post tertiū Conc. Toleta-  
 nū anno 589. celebratum; quod quidem, & Vafæus sensisse  
 videtur, qui Ioanni Cæsaraugustano Episcopo anno 623.  
 defuncto S. Braulium succeffisse, & Cæsaraugustanæ Eccle-  
 siæ viginti fermè annis præfuisse memorat in suo Chronico  
 anno 637. Verum quidquid de hoc sit dicendum coniectu-  
 ra eadē ex rei Christianæ statu post obitū Recaredi desumi  
 potest, cum nèque Ariana hæresis omnino extincta, neque  
 Catholica Ecclesia pacata esset, sed & B. Leander Hispalen-  
 sis Archiepiscopus in exilium ab Arianis relegatus deces-  
 serit, & Victericus, seu Vinctericus vir bello strenuus, qui  
 occiso Loiba Gothorum Regnum occupauerat Arrianam  
 hæresim reuocare conatus fuerit, vt habet Vafæi Chroni-  
 cum ad annum 623. & Sentilla Rex Regni fascibus detur-  
 batus, & in quarto Concilio Toletano hoc est anno 633.  
 communi Patrum decreto excommunicatus fuerit, vt Pau-  
 lus Aemilius memoriæ prodidit, quod quidem B. Braulio  
 Cæsaraugustanam Ecclesiam regente contigit, cuius statū  
 ab hæreticis vexatum fuisse colligitur, vel ex eodem Bre-  
 uuario S. Hieronymi vbi habetur, *Situata ab eo diuinitus se-  
 de in Ecclesia S. Mariæ Maioris, ortam esse hæresim de secta  
 illius falsidici Maomeri, qua funditus extirpata, Catholica  
 veritas eo presidente augmentum sumpsit.* Quamobrem,  
 quatenus S. Braulius vel propria pietate, vel Spiritu sancto  
 admonitus, vel occupata ab hæreticis Cathedrali, in Eccle-  
 sia del Pilar aliquandiu consedisset, Cathedralitatem ea  
 Ecclesia nequiquam consequi potuit, nec ædes Saluatoris  
 antiquam sedis prærogatiuam amittere, quam iure quodam  
 post liminij, & tanquam ad libertatem reuerfa pulsus hære-  
 ticus recuperauit, *ad text. in can. Pastoralis, vbi glos. 7. qn. 1.  
 & d. glos. in cap. privilegium de regul. iur. in 6. cum adductis in  
 vltima decisione in hac causa emanata coram Illustrissimo Bi-  
 ebio.*

§. III.

## §. III.

- N. 22. **S**ecundum Adminiculum ex Auctorum testimonio desumptum qui Ecclesiam B. Mariæ Virginis fuisse antiquitus Cathedralē prodiderunt, contraria Scriptorum traditione, & validissimis rationibus tollitur.
- Primum enim grauissimi Auctores Parochialem Ecclesiam eam appellant: nam Hieronymus Blancas rerum Aragonensium *comment. fol. 11.* capta à Mauris Cæsaraugusta Christianos in Parochia Virginis Mariæ del Pilar Septos, inclusosque habitasse memorat: atque Vrbe ab Alphonso Rege recepta Benearnensi Vicecomiti Christianorum Muzarabū Regionem quæ Parochiæ Ecclesiæ Beatissimæ Virginis del Pilar finibus terminabatur, assignatam testantur *idem Blancas fol. 130. & Zurita annal. lib. 1. foll 43.*
- Secundo loco ponderatur *text. in Canone quis nesciat 11. dist.* ubi habetur, *Manifestum esse in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias nisi eos quos Venerab. Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes &c.* qui textus cum de Cathedralium fundatione communiter accipiatur, Cathedralē nullam à Iacobo Apostolo in Hispania erectam omnino conuincit; quod idem sensit doctissimus Baron, in *annot. ad Martyrologium Romanum in festo S. Iacobi 25. Iulii.*
- N. 23. Nec tollitur argumentum responsione *ex glos. deducta*, quæ *d. text.* ita intelligendum censuit, vt nullus Apostolorum sine mandato Petri in dd. Regionibus Cathedralē fundauerit: proinde cum omnibus Apostolis ad gentium prædicationē euntibus huiusmodi auctoritas à Petro concessa supponatur, neuiquam *d. textui* aduersari videtur, B. Iacobum supposito Petri mandato in Vrbe Cæsaraugusta Cathedralē Ecclesiam instituisse.
- Siquidem *glos. interpretatio*, admitti non potest, cum mea sententia quam grauiori iudicio semper submitto non subsistat suppositum de auctoritate instituendi Ecclesias

Apo-

Apostolis à Petro concessa; etenim glosæ assumptum, vnde Paulum Principis Apostolorum mandato ad prædicandum profectum infert, contrarium potius probare videtur: Si enim Dominus dixit Apostolis *Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*, vt habet Lucas in act. 13. vtique non Petri, sed Domini præcepto missus est Paulus ad prædicandum, vt est expressus *textus in Can. quod die dist. 75.* quod idem de alijs Apostolis admonet *textus in Can. in nouo. dist. 21. & sensit Baron. ad an. Christi 44.* vbi ait, *excitata secunda in Ecclesiam persequutione, occisoque Iacobo Apostolo factam esse Apostolorum dispersionem, eosque à Iudæis pulsos ad exterâs gentes fuisse profectos nec tamen Prouincias forte vel proratione linguarum inter se diuisisse, sed singulos eas regiones petisse, ad quas Spiritus sanctus priuato instinctu voluit eos proficisci.*

Nec mihi profecto constat cur prædicandi facultas à Petro Apostolis tribuenda esset, quibus Christus Dominus noster expresso mandato prædicationem iniunxerat *Matth. & Marc. d. cap. ult.* quod *Egid. in d. Can. quis nesciat* animaduertens non esse præsumendum dixit vt in re per Dominum Iesum præordinata, & sancta, Petrus eius Vicarius auctoritatem interponere ausus esset, quia postquam Dominus aliquod negotium suscipit, potestas Vicarij, vel Procuratoris quò ad illud cessare debet, *de procurat. cap. non iniuste, & cap. si quem tit. eodem lib. 6.*

Hinc Præpositus atque idem Aegidius *in d. Can. à glosa sententia dissident*, tum quia à Christo immediatè habuit Paulus auctoritatem prædicandi, quia statim post conuersionem Pauli Christus dixit Ananiæ, *Vide quoniam vas electionis est mihi iste vt portet nomen meum coram Regibus, & gentibus, & filijs Israel: ego enim ostendam isti quanta oportet pro me pati, act. 9.* & ideo alibi dixit Paulus, *nec ab homine, nec per hominem sed à Domino euangelium se accepisse*: tum quia post conuersionem antequam videret Petrum, ipse publicè prædicauit, vt colligitur ex eiusdem Pauli epistola  
ed



ad Galatas cap. 1. vbi statim accepto mandato Domini Paulum abiisse, vt prædicaret gentibus euangelium antecessores eius Apostolos non alloquutum habetur; deinde post tres annos venisse eum Hierosolimam, vt videret Petrum, & mansisse apud eum diebus quindecim, alium autem Apostolorum vidisse neminem, ac rursus post annos 14. reuersum Hierosolimam, vt euāgelium cum alijs Apostolis conferret iuxta caput secundum eiusdem epistolæ; quod quidem Paulus non fecisset, iam Spiritu sancto plenus, nisi sciuisset se habere à Domino potestatem.

Similiter Apostolis nullam auctoritatem instituendi Ecclesias à Petro concessam ratione eadem suadetur: quia licet Petro Pontificatus in Ecclesia Christi datus fuerit, cæteri tamen Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt *ad Can. in nouo dist. 21. Vnde Abb. q. 1. num. 9. vers. tertio præmitto, eandem immediatè à Christo auctoritatem arguit Apostolos habuisse; quod quidem sacris traditionibus confirmatur, nam & dum viueret non soli Petro, sed omnibus Apostolis dixit Dominus, Amen dico vobis quacunque alligaueritis super terram erunt ligata & in Cælo, & quacunque solueritis super terram erunt soluta & in Cælo, vt in Matth. cap. 18. & post resurrectionem eandem potestatem eis cōfirmavit, Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, ut habet Ioannes cap. 20. Et hæc fuisse antiquorum Theologorum comuniorem sententiam testatur Suarez de fid. disp. 10. sect. 1. nu. 3.*

Nec officit, quia hæc auctoritas Apostolis diuersimodè obuenit Petro scilicet tanquam capiti, cæteris verò tanquam membris communicata *ad Can. ita Dominus dist. 19. & Can. loquitur 24. quest. 1. quamobrem à Petro, tanquam capite, Apostolorum auctoritas emanasse videtur, vt sensit Abb. d. quest. 1. nu. 12. Nam retenta differentia potestatis quam inter Petrum, & alios Apostolos idem Abb. constituit d. q. 1. num. 10. vt scilicet soli Petro auctoritas regiminis collata fuerit,*

fuerit, qua super omnes Apostolos atque Ecclesias potestatem haberet: Apostoli verò executionis tantum auctoritatem obtinuerint, exercitiū enim omnibus à Christo datum fuit ijs verbis, *ite predicare Evangelium omni creaturæ*; Respondetur auctoritatem sibi à Domino delegatam absque alio Petri mandato Apostolos exercere potuisse, eā tamen Petri potestati obnoxiam fuisse, cui tanquam Principi aliorum consilia regere, & moderari, alijsque prædicationem alijs Ecclesiarum institutionem committere, vel prohibere ius erat; Cæterum vbi de expresso Petri mandato, aut prohibitione non constet, permillum vnicuique fuisse suæ potestatis exercitiū par est credere, nec noua auctoritatis delegatione Apostolis opus fuisse, qui sufficientem auctoritatem ab ipso Domino acceperant.

Et hoc idem sensit *Suarez d. sect. 1. à num. 11.* nec obscuris verbis expressit *sub numer. 25.* vbi concludit etiam si Apostoli immediatè à Christo & ordinem Sacerdotij, & potestatem ordinis, & potestatem Iurisdictionis in vniuersum orbem acceperint, Petrum tamen duplici titulo superasse, dignitate, & potestate, cæteros Apostolos. Primò quia hæc dignitas fuit in eo, vt in pastore ordinario totius Ecclesiæ cui succedendum erat, aliorum verò potestas quodammodo delegata erat, & ex priuilegio. Secundò, quia Iurisdictione Petri se extendebat ad ipsas personas Apostolorum directè, nimirum poterat illis præcipere atque huc, vel illuc mittere. Tertiò quia ad Petrum spectabat cura vniuersalis Ecclesiæ quasi per se primo, hanc enim oportuit in vno inueniri, cum ad cæteros tam vniuersalis potestas non nisi secundariò esset demandata: *nam singulis Apostolis data est tanta potestas in hunc sensum, vt ubique gentium possent prædicare, absoluerè, Episcopos insituere, & similia*: non tamen vt possent singuli vniuersalem Ecclesiæ ordinem præscribere, aut leges condere, quæ totam obligarent in quo Petri potestas super alios eminebat.

Nec refragantur quæ de Paulo ex Archidiacono, aut de Phi-

H

lippo

lippo ex Methodio refert decisio *sub num. 35.* Nam Archidiaconum refellit Præpositus *in d. Canone quis nesciat nu. 8.* non enim quia Petrus dexteram dedit Paulo, ut in eiusdem epistola prima ad Galatas cap. 2. potestatem vllam hoc actu Paulo concessit, prout coniecit Archidiaconus, sed societatis dexteram eidem obtulit: nec quidem Petrus tantum, sed & Iacobus, & Ioannes tum Paulo tum Barnabæ dexteram porrexerunt, cum enim inuicem se separarent Apostoli, illi ad Gentiles, hi verò ad Iudæos profecturi pacem, & amicitiam inter eos dexterarum coniunctione firmarunt, ut indicat Paulus ijs verbis. *Et cum cognouissent gratiam qua data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columna esse, dexteram dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos inter gentes, ipsi autem in circuncisionē &c.* Quò verò ad Philippum qui Phyloteus cognominatus, & à Paulo conuersus dicitur, nil mirum si Pontifex Clemens eidem in Hispanias misso auctoritatem sibi à Petro transmissam: subdelegauit; non enim hic Philippus Apostolus fuit (quippe Apostolus an. Christi 54. Claudij verò 12. iuxta Euseb. & Baron. passus est: Philippus verò Phyloteus sub Nerone secundum Metaphrastem, vel secundum Baron. sub M. Aurelio, & Lucio Vero Imperatoribus claruit) ideo auctoritate Apostolica egebat, cum auctoritatem à Christo, quam Apostoli obtinuerant, non suscepisset.

Reijcienda igitur interpretatio *glos. & text.* absolute prout loquitur intelligendus est, ut scilicet nemo Apostolorum præter B. Petrum aut eius successores in Italia, Hispania, Gallia, Africa, Sicilia, atq; adiacentibus Insulis Cathedrales erexerit: cum enim nullibi æquiueniatur, aut legatur Ecclesiã vllam in dd. Prouinciis ab Apostolis, Petro excepto, fuisse institutam, neque nos id factum præsumere debemus iuxta expressa verba eiusdem *text. & ibi Gemin. num. 3.*

Nec obstat assera Apostolorum consuetudo constituendi Episcopos in singulis Ciuitatibus, in quibus verbum Dei prædicauerant, quam vel à Iacobo Apostolo Cæsaraugustæ

stæ

stæ seruata[m] verisimile videtur, quia præterquam Episcopi ibi constituiebantur, vbi messis quidem multa esset, & operarii pauci, quod Cæsaraugustæ considerari nequit cuius curæ fatis superque vnus Presbyter esse poterat, duobus tantum vel qui plures numerant, septem in ea discipulis ab Apostolo conuersis: Sanè cum adsit textus qui Cathedralẽ nullam in dd. Prouinciis ab Apostolis fundatam, expressè habet, non fuisse vbique seruata[m] hanc consuetudinem, fatis apparet.

Similiter non obstant quæ de Pauli, & Barnabæ prædicatione tradit Murill. in d. tractatu de fund. Capp. Angel. c. 20. fol. 173. Nam quod in can. quis nescias. de Petro dicitur, æquè de Paulo accipiendum est, qui non vnitæ personæ sed prædicandi, & instruendi identitate vnus, & idem cum Petro habetur, qua ratione vtriusque effigiem in Bullis Apostolicis imprimi notant Archid. ad d. Can. sub numer. 2. in fin. & Gemin. nu. 7. & 8. Quod autẽ Barnabas Ligures Insubresq; docuerit, & Mediolanensem Ecclesiam fundauerit ne utiquam probat contrarium eius quod in d. Can. asseritur, nam prout Clemens in septima Constitutione inter 70. discipulos Barnabam enumerauit, ita fieri potuit vt Innocentius in d. epistola, nec eum tanquam Apostolum nec Ecclesias ab eo erectas tanquam ab Apostolo erectas considerauerit. Et quamuis Spiritus sanctus dixerit, *Segregate mihi Paulũ, & Barnabam &c.* & propterea nomen Apostoli in Ecclesia Barnabas obrinuerit: illum tamen dignitatẽ Apostolicã quò ad omnia quæ de illius ratione sunt, atque adeo quò ad vniuersalem iurisdictionem, de qua superius diximus, non obtinuisse censuit Suarez de fid. d. disp. 10. sect. 1. nu. 2. vbi animaduertit neque Ecclesiam æquali solemnitate festum eius ac aliorum Apostolorum celebrare.

Tertium, & quidem fortissimum argumentum contra Cathedralitatem Ecclesiæ del Pilar ex superius allegato Alphonsi priuilegio elicitur, in quo præmissa Ecclesiæ S. Saluatoris antiquitate & calamitatibus, quibus à Barbaris af-

ficta fuerat, eidem Rex Alphonfus plura largitur, & in primis donationem Ecclesiæ del Pilar à superioribus Regibus Alphonso, & Ranimiro ei factam confirmat. Cum enim Pontifex Gregorius Septimus anno 1073. Concesserit Sancio Regi eiusque successoribus facultatem distribuendi, & disponendi de Ecclesijs, quas in Saracenorum terris caperent, vel ipsi ædificarent, exceptis dumtaxat Episcopalibus Sedibus, cuius facultatis reiterata concessio ab Urbano II. anno 1095. Petro Hispaniarum Regi, eiusque successoribus facta fuit: utique Alphonfus, & Ranimirus dd. Regum successores auctoritate à Pontifice sibi delata abusi non essent, Ecclesiã del Pilar, si ea Cathedralis fuisset, Ecclesiæ S. Salvatoris contra expressam Pontificis volutatem donantes: neque alter Alphonfus anno 1134. aut ipsi Pontifices Adrianus IV. anno 1158. & Alexander Tertius anno 1171. huiusmodi donationem confirmassent.

Nec subsistit responsio decisionis *sub num. 99.* videlicet donationes Ranimiri, & Alphonfi fratrum non comprehendere Ecclesiam del Pilar: & ideo, licet in confirmatione dd. donationum Alphonfus illorum successor d. Ecclesiam exptelsè referat, ad eam tamen confirmationem extendi non potuisse vtpotè subiectum confirmabile non inuenientem *ad tradit. per Abb. in cap. inter dilectos nu. 8. de fid. instr.*

Quia cum de donationibus Alphonfi debellatoris, & Ranimiri aliundè non constet quam ex tenore donationum in confirmatione inserto: non potest ex aduerso affirmari, Ecclesiam del Pilar in eis non contineri, imo ex d. tenore contrarium probatur, est enim recepta conclusio standum esse privilegio confirmatorio absque productione, & verificatione privilegij confirmati, quotiescumque in privilegio confirmatorio substantia confirmati plenè narratur *Abb. d. cap. inter dilectos nu. 9. post med. & ibi Falin. nu. 7. de fid. instr. Rota divers. par. 2. decis. 36. nu. 1. & rec. par. 7. decis. 22. nu. 22.* Nam ex d. narratione Princeps causa cognita, & ex certa scientia confirmasse præsumitur *ad glos. in cap. Pastoralis §. prate-*

præterea, verbo ex certa scientia de officia delegari Gabr. conf. 181. nu. 13. lib. 2. Rota decis. 192. nu. 3. par. 1. & decis. 292. nu. mer. 6. & decis. 166. num. 7. par. 5. & decis. 222. nu. 12. par. 7. recent.

Quæ confirmatio ex certa scientia habet vim nouæ cōcessionis, & gratiæ cap. si Apostolicæ & ibi glos. in verb. confirmamus de præbend. in 6. Rota apud Cassador. decis. 1. num. 3. de confirmatione vtili vel inuiti Merlin. decis. 743. num. 13. & rec. par. 1. d. decis. 192. nu. 2. & par. 2. decis. 513. num. 6. & par. 5. decis. 101. nu. 14. Omnemque prorsus dubitationem tollūt antiquissimæ enunciatiuæ in Adriani IV. & Alexandri III. Bullis emissæ quibus Alphonfi, & Ranimiri superius dictæ donationes confirmantur: Cum enim non modo temporis concurrat antiquitas, sed super donationibus enunciatis Pontifices disponant eadem donationes ad assertionibus concludentissimè probantur Rot. apud Seraph. decis. 449. & decis. 1272. vtrouique nu. 1. & rec. par. 1. decis. 405. num. 1. & 2. & par. 2. decis. 223. pariter nu. 1. & 2. & par. 3. dec. 222. à nu. 1. & par. 6. decis. 205. nu. 4.

Ex his igitur liquet non esse attendendam Scriptorum traditionem, qui Ecclesiam del Pilar Cathedralem asseruere: quippe non modo contraria aliorum assertio, sed ratio ipsa eis aduerlatur, quæ qualibet auctoritate maior est, & veritati æquiparatur ad tex. in Cap. qui contempta, et Can. frustra 8. dist.

Nec scriptorum numerus preferendus est veritati: nam plerumque historici nõ perferunt rationem anteriorem volatum more auum sequuntur vt de iuris consultis dixit, Dec. conf. 499. num. 12. & Roland. conf. 100. numer. 50. vol. 2. ideo scriptoribus qui Ecclesiam del Pilar Parochiam nuncupant, etiam si paucioribus magis est deferendum quam Cathedralem eam asserentibus: quoniam maioris auctoritatis eius verba esse videntur, qui magis ratione nititur iuxta dist. 20. in princ. nec ex auctorum multitudine sed rationibus est iudicandum ad l. primam S. sed neque ex multitudine

*C. de veter. iur. enucl. quod constanter, & Sanctissimè seruatum in supremo Rota Tribunali testantur Duran. decis. 76. num. 14. & decis. 501. num. 1. par. 1. diuers. & decis. 17. nu. 4. & nu. 10. par. 7. rec.*

Ut tamè absoluta omni ex parte respōsio ad obiecta habeatur singulorum, qui in *decisione referuntur sub num. 80.* testimonium expendi potest.

N. 24. Aymoinus in primis perperam allegatur in historia de rebus gestis francorum *lib. 5. cap. 20.* cum ne verbum quidem ibi habeat de Ecclesia del Pilar; cui accedit Aymoini historiã quartum librum non excedere, vt ex ipsius operis proæmio colligitur, alijsque pluribus argumentis, quibus, & Cardinalis Belarminns in *lib. de scriptor. Eccles. ad annum 873.* & Gulielmus Ranchinus *lib. 1. var. tit. cap. 15.* & Marquardus Freherus, & Antonius de Breul in *Iudicio de historia Aymoini prolato d. quintum librum seu centonem ex pluribus confarcinatum vt spurium agnoscunt reijciuntque Aymoini titulo falsò suppositum.*

In historia verò translationis corporis S. Vincentij cap. 6. licet Ecclesiam del Pilar aliarum matrem appellet, id non magis ad statum Cathedralem, quam ad antiquitatē eius quæ, & in simplici statu Parochiali fundari potuit, relationem admittit cum verbum matris plures habeat significationes, & secundum subiectam materiam accipiatur *ex trad. per Barbos. iur. Eccles. vniuers. lib. 2. cap. 1. à nu. 20.*

Quod si Cathedralem Ecclesiã eponimine historicus designasset, attento tempore quò enunciatiua emanauit, id pariter non officeret; cum enim anno Domini 855. Auctor scriberet quo Maurorum seruitute oppressa Cæsaraugusta, & antiqua Cathedrali in Mezquitam conuersa, Ecclesia Sanctissimæ Virginis Cathedralis vices subierat, Cathedralitatis qualitas ei tributa ad Auctoris tempora esset referenda, quibus sede in ea constituta non immerito potuit hac prærogatiua commendari.

Verum huic historiæ omnem prorsus adimunt fidem superius  
ponde.

ponderata in responsione ad primum adminiculum in princ. vbi ostendimus Aymoinum, qui scripsit de rebus gestis Francorum anno 735. historiam hanc condere non potuisse, acceditque grauissimi Auctoris testimonium (licet quo ad ætatem qua Aymoinus claruit, dissideat) *Card. scilicet Bellarm. in lib. de scriptor. Eccles. vbi plura Aymoinum scripsisse, solam verò de rebus gestis francorum extare historiam testatur.*

De Zurita nihil est quod addamus, siquidem superiori capite allegatum locum in indicibus anno 889. abundè exposuimus.

Michael Martinus del Villar Locumtenens Curia Iustitiæ in supremo Aragoniæ Consilio sententiam tulit fauore Ecclesiæ del Pilar in lite inter eam, & alias Cathedrales Regni pendente vt scribit *Murill. in tract. de excell. Urbis Casaravgustæ cap. 51. & Valenzuela conf. 43. num. 6.* Quamobrem eius auctoritas in hac causa parui censenda est, pro vt, & ipsius *Valenzuela qui d. conf. 43.* scripsit in causa Iurisdictionis eiusdem Ecclesiæ pro Canonico contra Priorem, vt alias respondit *Rota in Neapolitana Cimiliarcatus 27. Iunij 1647. in fin. coram Illustriss. Bichio,* contra Loterium qui in suo tractatu de re beneficiaria quædam transcripsit quæ tanquam Aduocatus in causa responderat.

Maxime cum Valenzuela sequutus sit testimoniū Augustini Morlanes qui in eadē causā scripserat, & Michaelis Martini del Villar, qui in ea pronunciauerat atque aliorum quos superius reprobauimus, Martinus vero del Villar tanquam commentator maiorem fidem non meretur quam ipsa Maximi epigrammata ab eo exposita quæ supposita, & Maximo falsè tributa superius ostendimus.

Martinus Garzia concionibus insignis, & clarus Theologica facultate minus versari in historia censuram subijt, vt videri potest apud *Carill. in hist. S. Valerij cap. 1.* etiam si in hac re in qua multi allucinati sunt Apocriphis scriptis fidem habentes, viro alias docto indulgeri possit.

Maurus



64  
Maurus Castella in hist. S. Iacobi fol. 85. ait Ecclesiam del  
Pilar temporibus antiquis per multos annos fuisse Cathedralem  
Cæsaraugustæ prout constat ex instrumentis impressis cum sententia ab ea obtenta cōtra multas Ecclesias  
super præcedentia in pub. Comitijs. Quare non absolute firmat eam  
Cathedralem fuisse, sed solum per multos annos, quibus verbis Ecclesiæ  
statum per Maurorum tempora innuere videtur: & quatenus aliter  
senserit, ad d. sententiam se refert, quæ nullam probationem facit, vt  
superius ostenditur.

Franciscus de Aynsa Cathedralem Cæsaraugustæ Ecclesiam S. Saluatoris cum  
Zurita, & Carillo fuisse sensit, vt superius docuimus, quamobrem  
Cathedralē dicens Ecclesiam del Pilar vel sibi contradixit vel  
Cathedralitatem in ea cōsiderauit Maurorum temporibus, qua  
ratione eam Cathedralem asseruisse videtur, & Valenzuela, & Maurus  
Castella, & defendi possunt quicumque Cathedralis nomine eam  
nuncuparunt.

Postremò Hieronymus Romanus Reip. Christianæ cap. 4. fol. 86. attendi non  
debet, vbi Ecclesiā del Pilar à Iacobo Apostolo ædificatam fuisse inde  
deducit *quia sic prodiderunt auctores Regni Aragonum, & secundum traditionem comunem  
sanctè receptam sic creditur, & habetur, quia scitur Ecclesiam del  
Pilar ante, & post excidium Hispania semper Cathedralem fuisse.* Nam si d.  
Ecclesiam ab Apostolo constructam admittatur, attamen quemadmodum id ex eo  
non infertur quia ante, & post Hispaniarum seruitutem Cathedralis fuerit,  
ita non concludit argumentum, ex comuni traditione sanctè recepta  
Ecclesia del Pilar fuit ab Apostolo ædificata, ergo ex eadem traditione fuit  
Cathedralis nam Cathedralitatis collatio, & ædificatio sunt diuersa.

Facile autem Romanus professus est scientiam eius rei, de qua tanta est apud  
auctores controuersia, nullo adducto fundamento, ex quo tanquam certo, &  
necessario principio id deducatur ad *trad. per. Menoch, de presump. lib. 1. quasi. 7. nu-  
mer. 56.*

*mer. 56. & lib. 6. praesumpt. 94. num. 20.* Nec nos eius assertioni stare tenemur, cuius dicta neque ab Imperatore, vel Pontifice approbata, vt necessario concludant: neque à maioribus nostris ita recepta sunt vt fidem à posteris mereantur: neque Aristotelis, aut Hippocratis placitum nobis proponant, de quo non liceat ambigere ad notata per *Barthol. in l. 1. num. 21. ff. si certum petatur.*

Et ex his probatum arbitror neque Iacobum Apostolum fuisse Episcopum Cælaraugustæ: neque ex auctoribus qui d. Athanasij Episcopatu aut residentia SS. Valerij, & Braulij in Ecclesia del Pilar, aut de eius Cathedralitate mentionem fecere, certum argumentum deduci posse pro antiquo statu Cathedrali eiusdem Ecclesiæ, tum quia dictorum scriptorū auctoritas multis laborat, tum quia contraria scriptorum traditione labefactatur, ideo Ecclesiæ S. Saluatoris præsens status ad præsumendum in præteritum suffragatur, cum anterioris status contrarij concludens probatio deficiat ad tradita per *Bal. in l. 1. §. si Magistratus num. 3. et 4. ff. de Magistr. conuen. Surd. cons. 196. num. 44. cum adduct. in decis. 402. num. 8. par. 2. et in ipsa 353. num. 1. par. 5. rec.*



...  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...

...  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...  
 ...





DE ECCLESIA

CATHEDRAE

CASARAVANOSTRAE

ROSALE TYPIS ET PER P. J. H. VON ...  
PADERBORN





1  
47

Th  
4776